33 —
33 —
33 —
12 —
32 —

15.2

TRACTATVS

DE TENTATIONIBVS, ET EARVM REMEDIIS.

AVTORE PETRO BINSFELDIO
Suffraganeo Treuirensi Doctore Theologo.

ORIGINES.

QVI BENE EXIT DE TENTATIONE & quem tentatio probabilem reddit, iste venit ad sanitatem Iudicij, &c.

IACOBI IIII.

Resistite autem diabolo, & fugiet à vobis.

AVGVSTÆ TREVIRORVM.
Excudebat Henricus Bock, Anno
M. D. C X I.
Cum gratia & Priuilegio Archiepiscopali.

REVERENDO ADMODVM DOMINO D. SERVATIO MAringio, Monasterij S. Martini ad vrbem Treuirorum Abbati dignissimo.

POsthumum libellũ de Tentationibus Reuerendissimi Præsulis Petri Binsfeldij, viri qua religione in Deum, qua pietate in patriam, qua zelo in Dei hostes nunquam laudati satis, in tuã admodum Reuerende Antistes tutelam arbitriumq́ damus, aut potius restituimus. Nam & olim, & nuper admodum R. paternitas tua de illo benè meruit. Olim quidem, cum eum reuerenter à Reuerendissimo parente sibi commendatũ suscepit: nuper verò, cũ sat latuisse visum viris est bonis, eum tam lubenter luci restituit, atque ipsum autographum in nostras manus venire passa est. Et vero per opportunè his ipsis temporibus R. admodũ

paternitas tua Lucinam se posthumo de tentationibus libello præbuit, in quibus & vndique mala assultant, & tanta solitudo cordatorum est: vt perpauci sint, qui aut calamitosis bonitatem præstruant: aut scutum periclitantibus præferant. Nec dubito, quin magno suo suorumque bono huc vsq; apud se autographo operienti Lucinam, vsa sit, nam vt ex ijs disciplinis cum tua admodum R. paternitate agam, quibus cumprimis delectatur, libello quibus aliorum climactericis præcautum est, sibi ipsi & suis ante alios cautũ voluit. Et omninò is genius huic libello inest, vt suos potius de disciplina cœli, quam de schola scrupea erudiat, & prouocet ad exempla cœlestium ciuium, qui se laqueis tentationum feliciter exemerunt. At apud R. admodum Paternitatem tuam non necesse sensus libelli depreciare, quæ ante satis eos æstimatos habet, id vnum contendo vt ea fronte posthumum suum suscipiat, qua antequam in manus nostras veniret suscepit, neque euulgationem eius quicquam de eius pretio detraxisse existimet. Operamque no-

stram

ſtram non minus in hoc libello de tentationibus edendo gratam acceptamq́ habeat, quam nuper in ſpeculo religioſorum charam habuit. Anno M. D. CX. 19. Septembris.

R. V. Paternitatis Cliens

Henricus Bock.

PROEMIVM.

EI qui Christianam militiam ingressus, ante omnia summa cum vigilantia laborandum, ne in hostium munitionem, & potestatem deueniat: si autem cum hostibus manus conferendæ sint, nisi & militari arte polleat, ac armis ad pugnam aptis instructus sit, aut cum vitæ periculo se tradere, aut certè turpiter fugere necesse est. Quia igitur militia est vita hominis super terram, & nō dormit, aut dormitat, qui nostræ animæ arcem impugnat, sequemur ergo strenuos belli duces, quibus alicuius ciuitatis defensio, in obsidione hostium commissa est, hi enim dum hostium periculum vrget, noctes atque dies non cessant aliquid noui excogitare, & construere, cuius præsidio se tueantur. Sic & nos dum hostes nos obsident, qui nunquam impugnare desinunt, quamdiu præsens vita durat, noua quotidie arma colligere debemus, quibus molimina inimicorum euertamus. Quoniam igitur tentationum, aliqua saltem

Iob. 7.

(quia

(quia perfectissima, ab homine mortali corpore induto, haberi non potest citra singularem Dei gratiam) cognitio, & remediorum aduersus easdem instructio, maxima pars eorum est quæ pietatem promouēt, & promotam defendunt, cum pietatis breuem instructionem tradiderimus, aliam partem de tētationibus annectendam promisimus, quam nunc ea qua potuimꝰ breuitate reddimus: Vlterius promittentes, quod si quis hæc diligenter perlegerit, & perlecta intellexerit, intellecta autē alta mente reposuerit, non parum luminis in hac arte acquiret, ita vt deinde sine magna difficultate, de similibus diaboli laqueis, qui indies erigūtur, valeat iudicare: quod fieri optamus ad Dei gloriam, animarum salutem, & inimicorum subuersionem,

Amen.

INDEX RERUM HOC TRACTATU CONTENTARUM Alphabeticus.

A

Abdicatio omnium rerum fol. 159.
Abdicatio voluntatis fol. 60.
Abusus studij fol. 171.
Adorans diabolum in forma Christi. 109.
Affectiones ad terrena impedimentum perfectionis fol. 147.
Remedium contra eas fol. 147.
Ambitionis tentatio. fol. 16. & 164.
Amanti nil difficile. fol. 50.
Angeli boni à malo discretio fol. 93.
Angelus bonus & malus quomodo se insinuant. fol. 97.
Appetitus refrenandus. fol. 117.
Ariditatis tentatio fol. 83. Remedium contra eandem fol. 83. In animam solus Deus agit immediatè fol. 91.
Aspiratio ad officia fol. 146.
Angelorum præsentia boni muniuntur ne terrore dæmonum torqueantur. fol. 177.
Angelorum & Sanctorum patrocinium non deest nobis in morte, præsertim eorum quos peculiari honore in vita coluimus. fol. 178.

Apud

Apud agonizantes proponenda quæ fiduciam in Deum excitent. fol. ibid.
Cautela obseruanda pro ijs qui adsunt agonizantibus fol. 178.
Agonizantes non decipiendi spe longioris vitæ. ibid.
Agonizanti cum mors est præ foribus quid dicendum. 179.
Agonizantem rebus huius mundi occupare extrema dementia. 179.

B.

BLasphemiæ spiritus tentatio fol. 58. Remedium contra eundem fol. 59. & sequent.

C.

CAro quomodo tentat fol. 2.
Caro similis est serpenti. fol. 4.
Carnis tentatio difficilior dæmones. fol. 9.
Cogitatio quæ peccatum. fol. 34.
Cogitatio morosa quæ. fol. 35.
Cogitatio merosa quæ peccatum mortale. fol. 37.
Cogitatio morosa si dubia sit quomodo confitenda. fol. 39.
Cogitatio bona à Deo est, fol. 118. à tribus cogitationibus cauendum. fol. 117.
Cognitio sui vera. fol. 171.
Complacentia in virtute. fol. 165.
Consensus quid sit & quotuplex. fol. 30. & 36.
Conscientia quid sit. fol. 68.
Conscientia duplex & etiam triplex. fol. 69.
Consolatio quid sit. fol. 84.
In consolationibus non quiescendum. fol. 98.

In consolationibus non semper sanctitas. 99.
Consolatio oritur ex tribus. 99.
Consolationes sunt causæ humilitatis. 100.
Consolationes non parui faciendæ. 101.
Consolationum iustorum causæ 101. & 102.
Conuersatio secularium nociua monachis. 166.
Consuetudo facilia reddit omnia. 51.
Curiositatis tentatio. 157.

D.

Deus quomodo tentat. fol. 1.
Solus Deus agit in animam immediate. 91.
Deceptio sub specie humilitatis. 158.
Desiderium indiscretum iuuandi proximum. 172.
Deliberatio habenda in actionibus. 95.
Desolatio quid sit. 85.
Desolationis causæ. 86.
Desolationis documenta. 89.
Remedium contra desolationem. 104.
Desperatio de diuina misericordia. 176.
Diabolus quomodo tentat. 7.
Diabolus victus non perdit potestatem. 16.
Diabolus quomodo tentat per sensus. 21.
Quomodo per potentias interiores. 24.
Diabolus odit reuelari sua Patri spirituali. 121.
Diabolus suadet Ecclesiasticis terrena. 150.
Diabolus mira per mundum operatur. 151.
Diabolus decipit pace. 154.
Diabolo ignota est nostra prædestinatio. 155.
Dilectione non vtendum intemperanter. 114.
Disciplina multum valet contra diabolum. 140.

Dis-

Disciplina remedium quibus adhibendum. 141.
Diabolus duobus modis morituros tentat. 179.
Remedia contra diaboli rabiem inextremis. 180.

E.

ECclesiasticis quomodo diabolus suadet terrena. fol. 150.
Exquisitio propriæ sanctitatis inutilis. 159.

F.

FEruor immodicus vitandus. fol. 114.
Fastidium cellæ malum. 161.

G.

GVla quomodo promouet pollutionem. 132.

H.

HOmo quomodo tentat. fol. 2.
Humor seminalis quid sit. 132.

I.

IGnorantia admirationis causa. fol. 56.
Illusiones nocturnæ pariunt pollutionem. 125.
Immoderatum desiderium sciendi fugiendum. 168. & 170.
Instabilitatis tentatio & remedium. 144.
Instructio pro Patri spirituali quam pro filiis. 123.

M.

MEns non potest esse otiosa. fol. 122.
Molestia in diuinis cauenda. 168.
Motus carnis quis peccatum. 32.
Mundus quomodo tentat. 5.
Mulieres patiuntur pollutiones. 130.
Mortis & inferni memoria peccatoribus necessaria. 178.

Otium

O.

Otium malorum causa. fol.122.

P.

PAcem fingit diabolus. fol.154.
Pater spiritualis discretus eligendus. 80.
Patres spirituales quomodo se gerere debeant erga suos subditos. 142.
Perfectio non est metienda ex gustu spirituali. 98.
A picturis causantibus tentationes cauendum. 120.
Pollutionis triplex causa. 126.
Pollutionis culpa vnde dignoscitur. 126.
Pollutio quando impedit communionem. 129.
Pollutio accidit mulieribus. 130.
Pollutio per gulam permouetur. 132.
Pollutio quid sit. 133.
Pollutio fit à diabolo. 133. & 135.
Pollutio quare mane fiat. 134.
Pollutio ex illusione quomodo fit. 136.
Pœnitentia aliena plus mortificat quam propria. 140.
Prædestinatio nostra ignota est diabolo. 156.
Prælatio periculo coniuncta. 167.
Pœnitentia periculose protrahitur. 45.
Præsentibus insudare vanum est. 152.
Pusillanimitatis quæ est causa. 73.

R.

REgulæ bonum Angelum discernendi à malo. fol. 93.
Remedia contra tentationes varia. 44. & 45.
Contra tentationes de fide. 56.

Contra

Contra scrupulositatem. 70.
Contra pusillanimitatem. 74. & 143.
Contra scandalum. 75. & 76.
Contra dubium de exemplis sanctorum. 78.
Contra diffidentiam Dei. 81.
Contra desolationem. 104.
Contra cogitationes. 118.
Contra illusiones pollutionum. 137. & 139.
Contra instabilitatem. 144.
Ad discernendas lachrimas. 91.
Remotio à terrenis laudanda. 148.
Reuelationes cauendæ. 108. & 110.

S.

Scrupulus quid sit. fol. 63.
Scrupulorum causa. 64.
Scrupuli aliquando vtiles. 65.
Scrupuli amouendi fortiter. 66.
Scrupuloso periculosum repetere confessionem. 67.
Scrupulosis optimum consilium quod. 67.
Scrupulosæ conscientiæ regula. 69.
Somnus intempestiuus fugiendus 167.
Specie boni fallitur homo. 166.
Studij abusus. 171.

T.

Tentatio quid sit. fol 1.
Tentatio quotuplex. 7.
Tentatio carnis difficilior diaboli. 9.
Tentationis vtilitates octo. 16.
Tentatio simpliciter non est expotenda. 19.
Tentatio quibus modis peragitur. 28.

Ten-

Tentatio non omnis peccatum. 30.31.
Tentationes diaboli variæ. 41.42.43.
Tentatio proficientis vehementior. 54.
Tentatio circa fidem. 55.
Circa spiritum blasphemiæ. 58.
Circa scrupulosam conscientiam. 63.
Circa timorosam conscientiam. 71.
Circa Dei misericordiam. 81.
Circa scandalum. 75.76.
Circa exempla sanctorum. 77.
Circa ariditatem. 83.
Circa fictam consolationem. 83.
Circa desiderium visionum. 106.
Circa prædestinationem. 155.
Circa neglectum spiritualium. 156.
Circa curiositatem. 157.
Circa abdicationem voluntatis. 159.
Circa fastidium cellæ. 160.
Circa ambitionem. 161.164.
Circa bona carnalia. 171.
Circa peccata. 173.
Circa desperationem diuinæ misericordiæ. 176.
Tentationes aperiendæ spirituali Patri. 113.
Tentatio turpis quomodo vincitur. 120.
Tentatio inconstantiæ periculosa. 145.
Tepor ad diuina excutiendus. 145.
Temporisare an oporteat. 150.
Tristitia immoderata ex tentationib. fugiẽda. 116.

V.

Via peccatorum difficilis. 51.

Visionem habenti quid considerandum. 170.

Visiones fugiendæ. 108,110.111.

Visiones habentium confessarij. 112.

Visiones potius reticendæ quam aperiendæ. 113.

CAPVT

CAPVT. I.

De Tentationis definitione & diuisione.

TEntatio, pro vt in præsenti de ea agimus, est assimulatio boni ad fallendum. Cum nemo operetur respiciens ad malum, iuxta Dionysium: Quicquid Diabolus proponit homini, id sub specie boni obijcit. Vt hæc definitio melius intelligatur, aduertendum ex sacris literis earumq; interpretibus, quod quinque sunt quæ nos tentant, licet non eodem modo. Primo Deus, 2. Homo, 3. Caro, 4. Mundus, 5. Diabolus.

Definitio Tentationis.

Quinque nos tentãt.

1. Deus tentat vt erudiat, & ipsemet tentatus, se cognoscat, vel alij de ipso cognitionem accipiant. Sic tentauit Deus Abraham Genes. 22. vt Abrahæ fides & obedientia innotesceret. Ioannis 6. Saluator Philippum tentauit, dum dixit, vnde ememus panes vt manducent hi, &c. vt defectum Philippo manifestum redderet. Cum autem Iacobus ca. 1. dicit, Deus neminem tentat, intelligendum, vt decipiat, & in malum ducat, vel vt ipse Deus, experientiam de aliquo sumat, cũ sint ei omnia notissima.

2. *Homo.* Tentat Homo, & Deum & Hominem: Deum, cum omittit & negligit, quod ex se potuit ad euasionem mali, vel consecutionem boni, & confugit ad diuinum auxilium. Hominem vero, vel vt ad malum trahat, aut de eo experientiam sumat.

3. *Caro.* Tentat Caro, dum spiritui aduersatur, & ex sua corruptione malos & illicitos motus producit. Cum tentatio à Carne dicitur esse, caro sumitur pro parte sensuali vnita Carni, prout Apost. ait, Caro concupiscit aduersus spiritum. *Ad Galat. 5. cap.* Insidiæ autem Carnis, pro eruditione & doctrina figurantur aliquibus modis in sacris literis: Caro concupiscens aduersus spiritum est Eua, quæ Adæ, id est, spiritui seu rationi suadet, edere lignum vetitum, vt cum ea delectetur in malo, sed audienda non est, quia ad mortem inducere, & à Paradiso excludere contendit. Ad hanc figuram S. Bernardus Sermo. I. de omnibus Sanctis videtur similitudine alludere, cum ait: vt Adæ merito indignamur omnes, quod Vxori suæ potius obedierit quam Deo, ita & nobis ipsis displiceamus, quod Carni nostræ aut quibuslibet alijs creaturis, magis quam Deo placere studeamus. *Gen. 49.* Item est illa Ægyptia mulier, quæ pulchrum animo

animo & corpore, ac prudentem Adolescentem Ioseph, frequenter stimulat ad oblectandum secum, sed relicto pallio secularis conuersationis, non attendenda sed fugienda est. Est itidem Thamar, quæ deposita veste lugubri, scilicet pœnitentiæ & conpunctionis, sedet in biuio, quiescens in vanitate & voluptate, vt mulier ornata in habitu meretricio, ad capiendas animas. Præterea ea est Dalila, quæ Sampsonem fortissimum, qui eius importunis instigationibus acquieuit, reuelando secreta, ac in gremio eius dormiuit, id est, nimis eius curam habens, crine virtutum spoliauit, & Philisteis, id est, dæmonibus execrandum & illudendum tradidit, non secus atque Sara Domina, Agar ancillam sibi rebellem, verberibus subiecerat. Morale ad hanc materiam ex Fabulis Æsopi desumi potest. Cum quidam Rusticus per desertum transiret inuenit serpentem frigore afflictum iacentem in terra quasi mortuum, cui compatiens, collegit, ac in sinum suum posuit & calefecit, qui resumptis viribus intoxicauit eum. Cumque argueret eum ingratitudinis quia quasi mortuum fouerat. Respõdit: Tu scis quod natura mea est, quod non noceam nisi calefactus, & cum caluero, venenum necesse est effundere: non

Gen. 38.

Iud. 16.

Gen. 16.

Simile.

ergo inculpes me, si proprietati meæ naturæ inseruiam, sed tibi imputa quod calefecisti. Sic & Caro nostra cum delicate fouetur, venenum concupiscentiæ, quod in se est, effundit, iuxta illud prouerb. 29. Qui delicate nutrit seruum suum sentiet eum contumacem. Haud similitudinem incommodam pro illustranda hac re, quidam Doctus adfert in hunc modum. Quidam vir nobilis, & eius seruus, tibi in custodiam dati sunt, ea lege, vt seruum pane & aqua, more serui, nobilem vero secundum dignitatem natalium suorum procurares splendide, tu autem è contrario, nobilem fame & siti, & multis iniurijs confecisti: seruum vero delicatè nutristi, omni genere deliciarum insolentem, fecisti rebellem domino suo, qui insurgens, vulnerat multos, tandem occidit. Quid respondebis ei, qui vtrumque tibi commisit? Tu homo crudelis fuisti qui nobilē virum, spiritum & animam nullis delitijs virtutum, nulla pinguedine deuotionis refecisti: seruū contumacem nutriuisti delicatè, qui carnem Gula, ebrietatibus, voluptatibusque huius vitæ inescasti. Caro insurgit aduersus spiritum, cum vitijs seruire cogit, vulnerat, occidit. Periculum quantum homini immineat à carne, pulchre ostendit D. Augusti. lib. de salutaribus documentis cap. 64. his verbis: Caro nostra est, quæ nos demergit in foueam,

Absalon serm. 3. de adnunciat. B. Mariæ. Simile.

am,

am, Caro data est nobis quasi animę bellum, quæ si mortificetur adducit ad vitam : Si nutriatur præparat ad bellum, laudo illum qui carnis suæ potest habere potestatem. O caro bestia crudelis, quid habes quod grauas animam, quæ nihil desiderasset nisi Deo seruire, si tibi iuncta non fuisset, Tu autem Caro misera non solum teipsum occidis, sed animam necas. Quales autem sint operationes carnis Idem S. declarat ibidem: cap. 65. Caro inquit, præceps est ad libidinem, improba ad petulantiam frequens ad Luxuriam, inuerecunda ad fornicationem, crimen quotidie crimini supponens, peccata peccatis, non cessat pessimis deteriora coniungere, voluntate crudelis, vana & insipiēs semper ad malum prona, velox ad mortem ad vitam difficilis: Et quid plura? Sicut tinea lanam deuorat, & sicut ignis ligna, fœnum & stipulam, consumit: Ita Caro rebellis & delicata animam consumit & concremat. Hæc Augustinus.

4. Tentat Mundus: nõ autē dicitur propriè sed instrumentaliter tentare, vel materialiter, in quantum potest cognosci qualis sit homo, ex hoc quod contemnit prospera mundi, vel aduersa, quibus etiā vtitur Diabolus ad tentandum. Duplicem ait D. Aug. in quodam sermone contra milites Christi aciem mundus producit: demulcet prospe- 4. *Mundus.*

 ris,

ris, deterret aduersis. Dicitur autem tentatio Mundi, quatenus homo, vel ex malitia propria, vel instigatus à Diabolo, inducit alium ad malum, nam & Mundus dicuntur peccatores, Mundi amatores. Vnus autem tentat alium tripliciter. Vno modo suadendo siue inducendo ad peccatum. Secundo modo persequendo. Sic omnes qui volunt pie viuere in Christo persecutionem patiuntur, Sic Christus in Euangelio, Si Mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Tertio Tentat Mundus, id est, Homines Mundi scelerate viuēdo ad malū alios inclinant: Si malorum consortia etiam bonos corrumpunt: quanto magis eos qui ad vitia proni sunt: Possunt & dici mundus omnia ista Mundi sensibilia, quæ alliciunt ad peccatum. Creaturæ enim vt sapiens bene testatur factæ sunt in odium, & tentationem & muscipulam pedibus insipientium: sicut mures in muscipula, dum lardum capere nituntur capiuntur, pisces hamo inescantur, aues laqueo inuoluuntur, non conspicientes malum latere, sic Homines huius Mundi, dum non habent gustum, & veram notitiam rerum cœlestium quærunt dulcedinem in rebus huius Mundi, in cibis voluptatem, in fœminis venustatem, in dotibus corporis elationem, in opibus vtilitatem.

2.Thim.3. *Ioan.15.* *Sap.14.*

tatem;Interim tamen cœci nõ vident, quomodo incidant in laqueos Diaboli, & desideria multa quę Homines demergunt in interitum. Hinc B. Antonius vidit totũ mundum plenum laqueis sibi inuicem annexis, & cum clamasset, quis istos euadet. Audiuit, Humilitas. De hac re S. Anthoninus 1.part. tit. 6.cap.13.§.1. *1.Thim. 6.*

5. *Dæmon.* Quinto tentat Dæmon, qui propriæ tentator dicitur, cum aliud non exerceat officium, quam Homines tentet, & ad mala incitet, de cuius tentandi modis, & arte infra patebit.

Quotuplex est tentatio.

OMissis multis diuisionibus quas ponũt, Alexander Halensis 2. part. quæst.17. membro 6. Bonauentura in 2. dist. 21. Sufficiat nobis cum Magistro in 2. dist. dicta, eam distinguere in interiorem, & exteriorem. Exterior est quando Homini malum exterius sensibiliter suggeritur verbo vel signo, vt ad peccati consensum tentatus inclinetur. Atque huius generis sunt omnes tentationes, quæ sensibus exterioribus obijciũtur, quæ sunt portæ per quas sæpe inimicus ingreditur, vt deprædetur animam. Vel si clarius dici debeat, nihil aliud huiusmodi tentatio est, quam ostensio alicuius obiecti sensibilis, à virtute exteriori, vt appræhen- *Duplex Tentatio. Exterior.*

Interior. hendens ad peccatum alliciatur. Interior vero tentatio, est motio hominis ad peccati consensum, orta ab aliqua virtute interiori, vel quando malum inuisibiliter extrinsecus nobis suggeritur, & illa quandoque fit ab hoste, quandoque à Carne, aliquando & imaginatiua mouetur ab hoste mouente species, vel habitus in memoria sensitiua, vel intellectiua reconditos & reseruatos, vt sic resultent cogitationes impuræ, blasphemæ aut sordidæ in cognitiua, quæ affectiuam moueant ad peccati consensum, quandoque excitatur à carne, spiritui propter fomitis corruptionem rebellante, dum bestiales & illiciti motus in sensualitate mouentur, qui facile ad consensum voluntatem inclinant. Hinc euidens redditur non quaslibet tentationes immediate ortum habere à Dæmone, sed quasdam ex sola carnis corruptione, vt etiam D. Aug. lib. de Ecclesiasticis dogmatibus attestatur: Non omnes, ait, cogitationes nostræ malæ à Diabolo excitantur, sed aliquoties ex arbitrij nostri motũ emergunt. Et origines lib. 3. periarcharum. Etiamsi Diabolus non esset, homines haberent appetitum ciborum, & veneriorũ. Dictum est immediate, quia omne peccatum mediate, oritur ex tentatione Dęmonis, ipse enim suggestione sua, primum hominem instigauit ad peccandum, ex cuius peccato subsecuta est

Nõ omnes tentationes malæ à Dæmone.

ta eſt in toto genere humano, maſſa quędam infecta peccati ferimento.

DVBIVM.

Quæ tentatio difficilior eſt ad vincendum, Dæmonis, vel carnis?

MAgiſter ſenten. loco cit. Reſpondet quod tentatio carnis ſit difficilior ad vincēdum, quia impugnans de noſtro, contra nos roboratur. Quod ſecundum Bonauent. ibidem intelligendum reſpectu eiuſdē peccati ſcilicet carnalis, vnde ſi quis ad peccatum carnis quis à propria carne tentetur, motus beſtiales & concupiſcentias ſenſuales excitante, vt famem, ſitim vel ſomnum ad conſentiendum peccato. Alius ab hoſte peccatum ſuggerente, ſine conſenſu carnis, difficilius vincetur, quæ eſt à carne, propter cōiunctionem carnis ad ſpiritum, ex qua magis incuruatur anima naturaliter carni inclinata: Si autem fiat comparatio reſpectu diuerſorum peccatorum, vt, puta carnis, tentatio attendatur reſpectu vitiorum carnis, & tentatio hoſtis reſpectu ſpiritualium, ſic ſe habet ſicut excedentia & exceſſa. Quidam enim homines magis proni ſunt ad peccata carnis, & his difficilius eſt reſiſtere tentationi carnis: Quidam vero è cōtra proniores ſunt ad ſpiritualia, vtpote qui magis dediti ſunt honoribus quam voluptatibus, & his difficilius

Tentatio Carnis difficilior ad vincendū.

cilius vincere ſpirituales nequitias. Ex parte autem tentantis, ſi eius vim, potentiam & calliditatem, ac indefeſſum animum conſideremus, ſine dubio difficilior eſt tentatio dæmonis. Non eſt enim ait Apoſto. nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, non tamen illi permittit Deus, vt omnem ſuam potentiam, & calliditatem exerceat.

Ex parte tentantis difficilior eſt Dæmonis

Anth. 6.

CAPVT II.

De vtilitate & fructu tentationum.

DE hac materia legatur S. Anthoninus 4. part. tit. 13. §. 5. Dionyſius Carthuſienſis in lib. de remedijs tentatio: Guielmus Lugdunenſis de virtutibus & vitijs, tomo 1. in tract. de fortitudine. Ludouicus de Granat. tom. 2. ſuarum concionum. Dominica 1. in 4. cõcione 2. Gabriel ſuper cano. miſſæ lect. 78. Caſſianus in collat. patrum 13. cap. 14. & collat. 24. cap. 25. & alij alibi.

1. Tentatio confirmat Humilitatem.

De fructu & vtilitate paucis nobis agendum eſt, quia hinc poteſt peti conſolatio pro eis, qui in tentationibus animo deijciuntur. Inprimis tentatio confirmat humilitatem omnium virtutum fortiſſimum murum, & elationem pellit. Quod Apoſto. de ſeipſo teſtatur cum ait 2. Corinth. 12. Ne magnitudo reue-

reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanę, qui me colaphizet. In vitis patrum quidam dat exemplum dicens. Quod nisi pistor oculos animalis molentis ad molam velaret, verteret *Simile* se animal, & commederet suos labores. Sic Deus permittit cogitationes sordidas in mẽte nostra, exsurgere & tentationes, quę mentem obnubilant, ne bona nostra videamus, & ea per superbiam perdamus. Secundo. 2.
Tentatio bona multiplicat spiritualia, quia secundum doctrinam Apostolicam, Deus *1. Corinth.* fidelis facit cum tentatione prouentum. In 19.
cuius figuram Iob multis tentationibus agitato, adaucta sunt ei & multiplicata bona. Et *Iob vlt. cap.* in vitis patrum: cum discipulus cuiusdam senis, grauiter tentaretur, & vt resisteret maximè se affligebat: Ait Pater. Vis fili vt rogem dominum vt auferat à te hanc tentationem, respondit, non pater, quia sentio in animo meo ex hoc profectum, quia huius occasione, amplius vigilo, ieiuno & oro, tantum ora pro me, vt det mihi deus fortitudinem. Ter- 3.
tio Erudit & illustrat, qui enim non est tentatus, qualia cognoscit: exercitio tentationis instruitur homo, quomodo in tentatione se debeat gerere ne succumbat, expertus suam fragilitatem, & Dei auxilium & prouidentiam, ac in tempore pacis præparat animam ad tentationem: ne cum venerit perturbatio,

tio, se in manus hostium tradat. Quod S. Macharius apta similitudine declarat. Ho-
Similitudo milia 16. veluti Agricolæ periti præ multa consuetudine, cum vbertas est Annonæ nõ plane cura vacant, sed postea famem & sterilitatem expectant, nec è diuerso valde desperant, cum fame ac sterilitate premuntur, eo quod vicissitudinem probè norunt. Sic est in re spirituali, cum in varias tentationes inciderit anima, non est attonita nec desperat, quia nouit ex permissione diuina, se relictam esse, vt probaretur & erudiretur à malo: nec vicissim quando diuitijs multis & quiete fruitur sollicitudine caret: sed mutationem expectat.

4. 4 Consolationem & refectionem tentatio parit. Quando enim homo vicit tenta-
Apoc. 2. tionem, gratia cœlestis eum confortat & reficit, vincenti ait scriptura dabo manna, quod nemo nouit, nisi qui accipit. Et cum
Matth. 4. Saluator noster tentationem Diaboli superasset, accesserunt Angeli & ministrabant ei.
Thobiæ. 3. Et Thobiæ Iunioris vxor sara dicit: non delectaris Deus in perditionibus nostris, sed post tempestatem tranquillum facis, post lacrimationem & fletum exultationem infundis. Et Hieronimus in Epistola ad Eustochium de se ipso testatur, quod post ingentem Luxuriæ ardorem, multasq; lacrymas, nonnunquam visus sibi fuerit agminibus interesse

esse Angelorum. Medicus, vt similitudine Chrisostomi hom.4.in Genes. vtar, quando infirmum curat, neq; semper fame detinet, neque semper larga mensa frui sinit, vt non voracitas febrim pariens augeat morbum, fames vero infirmiorem eum efficiat: Sed coniectans apud se, quantæ sint ægrotantis vires, & diligenter vtens arte, omnia sua in medium affert. Similiter & misericors Deus, sciens quid cuiuis expediat, aliquando concedit nobis prosperitate frui, aliquando etiam exercitationis gratia, tentationibus nos circundat. *Simile.*

5. Spiritualem profectum animæ promouet, & auget: Qui enim se impugnari sentit ad repugnandum incenditur, sicut enim in naturalibus videmus, qui fortius agunt, dum suorum contrariorum actiones oppositas habent vehementius agunt: Et ignis flatu depressus, latius deinde se diffundit. Exempla huius rei non desunt in actis Apostolorum, Laurentij, Anthonij, Martini & aliorum, qui enim virtutis studio ardent, & quotidie de virtute in virtutē eunt, vt videant Deum in Sion: maximam habent occasionem in tentationibus acquirendi tot virtutes, quot suggestionibus vitiorum molestantur. Si superbiæ flatu vexantur, ne peccato consensum præbeant, humilitati operam dāt. Si Gula irritantur, ne voluptati habenas

benas laxent: temperantiæ metas amplectuntur: Si carnis flammis accenduntur, ne serui corporis fiant, incipiunt illud subiugare ieiunijs, laboribus atque flagellis, sic tandem efficiunt, vt tanta colligant instrumenta virtutum, quantis antea tentationum irritamentis incitabantur ad malum, & quod præparatum erat in ruinam, ver-
6. titur ad profectum. Ex hac vtilitate sequitur sextus fructus tentationis. Merita & Coronam in cœlis augmentat, nemo enim
1. Cor. 2. coronatur iuxta Apostolum, qui non legitime certauerit, & nemo certat qui non impugnatur, pugna enim facit milites, eosque gloria celebres, si viriliter in inpugna se gerant.

7. Septima tentatio confert magnam tentato spem, quod placeat Deo, quæ non est minima consolatio animæ fideli in tentationibus si fideliter persistat, ne vincatur. Nisi enim eorum vita Deo placeret, & inimico ingrata ac odiosa esset, nequaquam moliretur animam à suæ conuersationis statu diuertere, vnde bene Chrysostomus homil. 1. ad popul. Antioche. Ne miremur quod spiritualibus instantes, multa patiamur ad-
Simile. uersa: Quemadmodum latrones, non vbi fœnum, paleæ & calamus, sed vbi aurum, & argentum, ibi effodiunt, & continuo vigilant: Sic Diabolus his maximè instat,

qui

qui ſpiritualia attingunt negotia, ibi multæ inſidiæ, vbi virtus: illic inuidia, vbi miſericordia. *Nota.*

Octaua malitiam & audaciam dæmonum debilitat tentatio, ſi tentatus forti animo reſiſtit, nunc enim loquor de ijs qui fortiter negotium ſuæ ſalutis agunt, & non de negligentibus & hominibus abiecti animi. Paleæ enim in igne, reſoluuntur in cinerem & puluerem, aurum vero purius redditur: viri enim ſancti vincendo tentationes Diaboli, magnas aſſumunt vires contra inimicum, inimicus verò confunditur. Quemadmodum enim nos (vt ad declarandam rei veritatem Chryſoſtomi hom.5.de patientia Iob. ſimilitudinem adferam) aduerſus hoſtes illa exponimus arma, quibus eos dolore afficiamus: ſi vero eos minus dolere conſpexerimus, recedimus, quaſi non habentes, quo ipſos mordere poſſimus. Sic Diabolus ſi viderit deridentem ac deſpicientem ſuos conatus, cedit ex via, & iam non vlterius propinquat. Ad probandam huius fructus veritatem, & in robur militum Chriſti, hoc in loco placet mouere dubium. 8.

An Diabolus ab aliquo victus in tentatione poteſtatem tentandi perdat?

MAgiſter ſent. in 2.diſt.6. ex teſtimonio Origi-

Originis, Reſpondet quod Diaboli, qui à ſanctis, iuſtè & pudice viuentibus ſuperantur, poteſtatem tendandi alias vltro non habent. Vnde ait Origines, puto ſane quod ſancti repugnantes aduerſus incentores, & vincentes, minuant exercitum Dæmonum; velut quam plurimos eorum interimunt, ne vltra fas ſit illi ſpiritui, qui ab aliquo ſancto, caſtè & pudice viuendo, victus eſt, alium hominem iterum impugnare, propter hoc Originis dictum, Doctores in illum locum Magiſtri conueniunt, quod Diabolus aliquo modo deficiat à tentando ſi vincatur. Dubitant tamen de dicto illo Originis, & diuerſo modo illud exponunt. Quidam dixerunt quod Dæmon ſemel victus ab aliquo ſancto, ceſſet omnino de cætero à tentatione, quod nec ipſum hominem tentatum, nec alium poteſt de eodem vitio, vel alio tentare. Sed hoc Bonauentura confutat, quia ſi hoc verũ eſſet, videtur quod exercitus Dæmonũ adeo in fine mundi diminutus eſſet, quod tentare non poſſet, ſed hoc falſum, quia ſub Antichriſto, & in fine mundi vehementiores erunt tentationes. Alij dicunt quod Dæmon ſemel victus de illo vitio in quo ſuperatus eſt, nec vincentem, nec alium poſſit tentare. v. g. Si Diabolus tentet aliquem de ſuperbia, non poteſt amplius de ſuperbia, ſi victus eſt; ſed bene de Auaritia, vel

Gulà

Gula & alijs, &c. ſed hoc etiam ab alijs non admittitur. Tertio, Alij dicunt, ſi quis perfectè de vno peccato Diabolum vincit, non poteſt ab eodem Diabolo tentari de eodem peccato, ſed poteſt de alio eundem hominẽ tentare. Hęc expoſitio ſecundum D. Thom. loco cit. in Magiſtrum, habet cauſam magis manifeſtam, quia ille dicitur Diabolum perfectę vincere de aliquo vitio, qui ſic vincit, vt omnes in ipſo vincantur paſſiones, ad illud vitium inclinantes: Ideoque à Diabolo, qui iam vires illius cognouit, non tentatur de eodem peccato, Sed quicquid ſit de hoc dicto Originis, concludo cum S. Bonauentura, melius eſt dubitare quã ſuper hoc quicquam definire. Multa pro hoc dicto hinc inde adfert Gabriel ſuper Canonem Miſſæ lectione 78. in literis H & I. Nona tentatio 9.
facit Hominem ad Deum confugere, & ſubſidium petere: Clamauerunt inquit Dauid, *Pſal.* 106.
ad dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Dum enim tentatus cernit, quod nequit ex propria fragilitate reſiſtere, de ſuis viribus diffidens, & in miſericordia ſperans, inuocat eum qui dicit: Inuoca me in die tribulationis, eruam *Pſal.* 49.
te & honorificabis me, &c. Decima tenta- 10.
tio, inducit hominem ad ſui ipſius cognitionem, & docet eum quomodo debeat alijs *Eſa.* 28.
conſulere qui tentatur, vexatio enim dat in-

tellectum. Hanc vtilitatem inter alias ponit D. Gregorius 23. cap. 27. Aliquando (ait) post profectum virtutum, non solum tentant vitia, sed etiam flagella castigant. Cum tentamur vitijs: pia dispensatione nobiscum agitur, ne his virtutibus quibus proficimus extollamur, cum flagellis atterimur, admonemur ne mundo blandiente seducamur, vitia dum nos tentant, proficientes, virtutes humiliant, Flagella dum nos tentant, surgentes in corde huius Mundi voluptates eradicant. Per tentantia vitia discimus, quid de nobis sentiamus, per ferientia flagella cognoscimus, quid de hoc Mundo fugiamus, per ista comprimimur ne quid extrinsecus appetamus; per illa restringimur, ne intrinsecus extollamur. In hac igitur vita dum sumus, & aliquando vitijs tentari, & flagellis atteri necesse, ignorantia sui ipsius crescit, quando tentationes non vexant, quia homo persuadet sibi, se bonum & purum esse. Hanc autem falsam & fallacem opinionem adueniens tentatio tollit; dum virus in animo nostro latens, per casum aut inclinationem ad peccatum ob oculos ponit; Ita tandem homo suam fragilitatem, quam quasi nesciebat, cum liber à tentatione esset, experitur ac cognoscit. Dubium hic esse potest cum tantæ sint vtilitates tentationum, an sint appetendæ.

Nota.

An

An tentationes sint appetendæ?

SEcundum D. Thomam in 2. distinc. 21. quæst. 3. Tentatio simpliciter non est appetenda, quia sumus fragiles, & inimicus valde fortis. Sed tentari & vincere simul acceptum, appetendum est. Sed quia victoria est dubia, ideo securius fugitur, quam quæratur, Bonauent. in 2. dist. 23. quæst. 3. art. Richardus ibidem quæst. 4. distinguendo dicunt, quod tentatio quæ est à Deo, quia ordinatur ad bonum, appetenda est cum Psalm. Proba me domine & tenta cor *Psal. 25.* meum: Tentatio Carnis quia semper vitiosa, fugienda, & occasiones cauendæ. Quæ à Diabolo, Mundo, & Homine malo, in comparatione ad tentantes, non debent appeti, quia tentantes peccant impugnando, & non licet appetere alterius peccatum. Comparando vero ad tentatum ratione periculi, per se non sunt appetendæ, per accidens tamen propter virtutis exercitium, & cumulum meritorum à viris perfectis, & fortibus in virtute, possunt appeti; tales enim gaudent in tribulationibus: Sed non ab infirmis & tepidis in charitate, vt docet etiam D. Aug. lib. 9. de ciuit. Dei cap. 9. Quia sicut paruus ignis à vento cito

extinguitur, vt patet in candela ardente, magnus autem ignis à vento plus inflatur. Sic paruus ignis charitatis extinguitur à vẽto tentationis. Ad horum sententiam S. Anthoninus videtur accedere, quantum ad distinctionem perfectorum & imperfectorũ. Gabriel super cano. Missæ lect. 78. docet tentationẽ, nec propter se appetẽdam, cum inclinet ad malum, nõ enim potest fieri sine peccato à tentante (nunc non loquimur de illa tentatione quæ fit à Deo) nec etiam desiderandam propter aliud, vt propter victoriam, quæ potest consequi tentationem, aut propter virtutem quæ ex tentatione augeri potest & roborari, aut aliud bonum. Quia quod non est per se causa alterius, sed habet se omnino ad illud per accidens, non appetendum propter aliud. Tentationem autem, tanquam causam per accidens, non sequitur ex se victoria, sed prouenit à tentato, concurrente Dei gratia, tentationem viriliter vincente: Et licet tentatio quandoque sit occasio victoriæ, non tamen ideo est expetenda, alias peccatum etiam esset appetendum, cum quandoq; sit maioris gratiæ, iuxta illud: vbi superabundauit delictum, super-
Rom.5. rabundauit & gratia: Et alibi. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. De-
Rom.8. inde incerta est victoria, cum nemo suas vires cognoscat, & ignoramus quantum Deus

per-

permittat tentationem augeri; poſſit autem appeti, vbi certa eſt victoria de tentatione, vnde hic Doctor videtur conuenire cum S. Thoma.

CAPVT. III.

Quomodo Diabolus aggrediatur animam per ſuas portas, (id eſt) potentias interiores & exteriores.

DEcem cornibus Diabolus Hominem petit, quinque quoad ſenſus exteriores, & quinque quoad interiores, videlicet imaginatiuam ſiue phantaſiam, memoriam, intellectum, rationem, & appetitum ſenſualem. Tentat per viſum, vel faciendo apparere rem pulchriorem quæ viſui obijcitur, vel inſtigando ad inſpiciendam rem formoſam & delectabilem, vt eam inordinate concupiſcat. Sic Dauid ad inſpiciendam Berſabeam mouit, 2. Reg. 11. ex quo aſpectu in adulterium incidit. Sic B. Anthonio ad heremũ tendenti diſcum argenteum in via poſuit, vt eum arriperet, & rediret ad ciuitatem, ſaltem pauperibus diſpenſandum, ſed dicente S. Anthonio, figmentum tuum hoc Diabole eſt, ſed animum meum nunquam poteris re-

Senſus exterior. 5.

Interior totidem.

Tentat per viſum quomodo.

mouere, discus vt fumus euanuit. Hoc pacto quandoque oculis obijcit formas turpes & illicitas, vt inuitet ad fœtidas voluptates carnis, cuius rei exempla non desunt in vitis Patrum, & experientia quotidiana exhibet multa. Auditum aggreditur, mouendo ad audiendum auidè & cum delectatione fabulas Poetarum, & ornatum in sermonibus verborum, magis quam vtilitatem & fructum animæ. Exemplum in vitis patrum. Cum quidam S. Pater aliquos, qui ad se venerant gratia ædificationis animarum suarum, de spiritualibus admoneret, in processu dormitare cœperunt, quod ille perpendens, sermonem conuertit ad aliquam fabulam, tunc subito excitati ridere cœperunt: Ex quo ostendit S. vir, tentationem dæmonis fuisse. Per sonoras etiam voces cantionum & instrumentorum Musicorum tentat, nimiam in his procurando delectationem. Vnde S. August. in libr. confess. Cum accidit mihi, vt me plus cantus, quam res quæ cantatur delectet, id est, sensus verborum, tunc me peccare pœnaliter confiteor, & tunc nollem audire cantantem. Quantum ad odoratum, etiam quandoq; tentat in his quæ Odoratum mouent, nimirum vt homo delectetur, vel ex Odoratu in suæ sanctitatis reputationem inclinetur, quæ rarior & subtilior tentatio est, vt in vitis

Per Auditum.

Exemplũ.

Delectare debet in cantu sensus verborum.

Per Odoratum.

vitis Patrum de S. Iordano legitur, qui quodam tempore sentiebat maximum odorem de manibus prodire suis, & cum miraretur vnde procederet, ad altare celebrando cum diceret: Lauabo inter innocentes manus meas, euanuit omnis ille odor, tunc cognouit fraudem Diaboli, qui intendebat vt hoc ascriberet suæ sanctitati, & inde superbiret. In sensu gustus non desunt etiam tentationes, cum hominem mouet ad bibendum & commedendum, non propter necessitatem & sustentationem corporis, sed propter complacentiam & delectationem in ipso cibo & potu. August. in libr. confess. Sic me docuisti domine, vt tanquam ad medicamenta, sic ad alimenta accedam, sed dum ad quietem sacietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu insidiatur mihi laqueus concupiscentiæ, ipse enim transitus voluptas est, & non est aliud quo transeatur, ex quo transire cogit necessitas, & cum salus causa sit edendi & bibendi, adiungit se tanquam pedissequa periculosa iucunditas, & plerumque præire conatur, vt eius causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico vel volo. Hæc Augustinus. Aliquando viros Spirituales tentat de contrario, vt ob mortificationem talis delectationis, vel carnis inducat ad vitium insensibilitatis, & indiscretionis, ne- Per Gustũ.

cessaria sibi subtrahendo. Pulsat etiam tactum vt inordinate delectetur in eo & incitetur ad fœtorem libidinis. Huius tentationis exemplum est in vita B. Leonis papæ. Cũ ob deuotionem mulier quædam eius manum osculata fuisset, in tantam incidit tentationem, vt Zelo castitatis incensus manũ sibi amputaret, sed B. Virgo, cui deuotus erat ei restituit. Et in vita S. Benedicti, idem Pater de tactu merulæ. Hac specie solet frequenter iuuenes spirituales decipere, vt vel familiaritatis vel amicitiæ, vel dissolutionis causa, osculentur & tangant mulieres.

Per tactũ.

Exemplũ.

Nunc videndum de potentijs interioribus.

Per potentiam Imaginatiuam siue Phantasiam temat.

IN primis se offert imaginatiua, siue phantasia, quam Diabolus aggreditur imprimendo imagines & similitudines diuersorum, quæ ad vitia tendunt. Sic causantur pollutiones multæ per repræsentationes turpes in imaginatiua siue phantasia, ita vt quãdoque nudæ mulieres, vel vir & Mulier pariter commiscentes repræsententur &c. & ex hac parte iudicium plerumque sumendum de pollutionibus nocturnis, an sint à Diabolo, vt infra latius aperiemus, quando aliqua specialia de hac pollutionis tentatione adferemus. Exempla huius tentationis non desunt & in vita S. Catharinæ senensis, & multorum

torum aliorum ſanctorum & ſanctarum. Hac via etiam tentat cum per ludificationẽ & præſtigia maleficorum, in imaginatione facit apparere, quod in rei veritate non eſt; vt ſi maleficus faciat, vt gallus qui trahit filo feſtucam, videatur trahere trabem cum maximo fune. Exemplum eſſe poteſt de quadam iuuencula, quæ arte malefica viſa eſt conuerſa in Equam, ſed virtute orationis S. Macharij deſtructum maleficium,& Mulier apparuit iterum in propria forma ſicut prius. Solet itidem etiam Memoriam mouere ad tentationem, dum efficit, vt homo recolat mala quæ egit, vel audiuit, præcipue turpia, vt in eis delectetur, vel in moroſas incidat cogitationes, vel in ſcrupulos conſcientiæ, quibus quietem animæ interturbet, vt infra cum de hac tentatione agetur, clariſſime patebit, & ſic quandoque contingit, vt quando Homo in amaritudine animæ vult recordari ſuorum peccatorum, Diabolus moueat ipſum in ipſa reminiſcentia ad delectationem, ita vt medicinam conuertat in toxicum. Contingit itaque vt aliquando accidat eum qui Diabolum inſequitur, ab eodem ſauciari; eodem pacto aliquando confeſſores tentare poteſt, dum in alio aliorum peccata recogitare facit, vt in ijs delectentur.

Exemplũ.

In intellectu.

Tentat etiam in intellectu varijs modis, 1.

vno modo, sed fortasse rarius per suæ naturæ subtilitatem, cum scilicet Intellectum suum plenum similitudinibus omnium rerum, applicat humano Intellectui, qui est veluti speculum susceptiuum omnium formarum, sicuti accidit in duobus speculis sibi ex opposito respondentibus, forma quæ est in vno, resultat in alio, hic fortasse Diabolus formam cogitationis, vel rei quæ est in suo intellectu repræsentat in humano. Et hoc fortasse Diabolus agit, quando tentat de spiritualibus, quæ sub imaginationem non cadunt, vt tradit S. Anthonius.
2. Alio modo indirecte potest mouere Intellectum, mediante phantasmate, dum suggerit imaginationes in phantasmate, fenestris aliorum sensuum accedentibus, à quibus intellectus capit cognitionem. Etenim dum in hac vita sumus, nostra cognitio exordium sumit à sensibus, & secundum Philosophi doctrinam, necesse est intelligentem phantasmata speculari. Cum autem peccatum solum quo ad apprehensionẽ, consistat in Intellectu, ac per consensum in voluntate, quę cogi non potest, homo valet ad huc resistere, etiamsi moueat intellectum. Tertio. Diabolus aliquando se
3. applicat intellectui secundum collationem Abbatis Sereni, quadam obscuritate deformi, vt obscuret mentem humanam, & obnu-

bilet

bilet claritatem intellectus, vt mentis tristitiam maximam inueniat, vel Acediam, vel vanum timorem, vel bonorum obliuionem; Contingit hoc pro corporis debilitate, cum scilicet in illis membris, in quibus vigor animi continetur, immundus spiritus insidens, eisque importabile pondus imponens, vt obscuritate tenerrima intelligentia animæ inuoluatur.

Quarto Accedit etiam ad intellectum per somnia & visiones, cum enim propter subtilitatem suæ naturæ multa cognoscat, vel experientia, vel ex dispositione naturali hominis, vel ex causis naturalibus, quæ sunt hominibus incognita, prænunciat aliquando futura aliquibus, vt illis sic euenientibus assuefiant illi fidem adhibere, & tandem ad interitum ducat. Huiusmodi exempla adfert. Anthoninus 4. part. lib. 13. Tentat etiam Diabolus intellectum quoad illam eius partem, vel potius actum, quæ ratio nuncupatur, cum eius sit officium discurrere de vno in aliud, & hac via suggerit rationi esse falsum, vel impossibile quod de articulis fidei prædicatur & Sacramentis, adducens rationes naturales in contrarium, vel inducere nititur ad perplexitatem, vel adducit sacram scripturam in falso sensu, vt fecit cum Salua-

4.

5. Per rationem.

Saluatore Matth. 4. Sic capit multos Hæreticos, & homines proprij cerebri, qui ex scripturis male intellectis peruertuntur. Postremo tentatos frequentissime pulsat sensualitate siue appetitu sensitiuo, sicut in primorum parentum tẽtatione progressus est, ex delectatione eius ligni vetiti, & tunc blãde ingreditur per cogitationem, delectationem, & consensum: permaxime autem intendit appetitum inclinare ad venerea, tanquam quid naturale, aliquando etiam motus carnis excitat, qui possunt esse peccatum si consensus accedat, vel ad Petram allidere negligat. Exempla huius rei permulta sunt apud Anthoninum loco citat. sed plura quã expediat, quod miserandum est, multorum Hominum casus experitur. Nunc de gradibus quibus Homo ad peccatum perducitur paucis agendum est.

Per sensualitatẽ.

CAPVT. IV.

De gradibus quibus ad peccatum peruenitur siue modis quibus tentatio peragitur.

SEcundum sacrorum Mysteriorum interpretes, tribus gradibus ad peccati foueã perducimur, siue tribus modis pręcipue tentatio

tatio perficitur. Suggestione, Delectatione & consensu. Suggestio nihil aliud est, quam dum turpis & mala cogitatio siue tentatio, ab hostibus animæ, Diabolo, Mundo, & Carne immittitur. Delectatio quando iam animo placet quod suggestum est. Consensus quando non solum delectatur in eo per suggestionem subministrata, sed etiam deliberate consentit in actum peccati perficiendum. August. lib. 12. de Trinit. cap. 1. Et lib. 1. de sermone domini in monte cap. 23. S. Gregorius Homil. 16. in Euang. & lib. 4. moral. cap. 27. hunc graduũ ordinem ex tentatione primorum parentum deducunt. Suggestio comparatur suggestioni serpentis. Delectatio mulieri. Consensus viro. Tria hæc similia sunt illi gestæ rei, quæ in Genes. scripta est, vt quasi à serpente fiat suggestio, & quædam suasio; In appetitu autem carnali, tanquam in Eua, Delectatio. In ratione vero, tanquam in viro, consensus, quibus peractis, tanquam de Paradiso, hoc est, de beatissima luce Iustitiæ, in mortem homo depellitur. Quoniam hæc materia frequentissima est in praxi, discutienda & declaranda sunt singula, pro pleniore intelligentia. Incipiendum ergo à tentatione, deinde ad cogitationem procedendum. Postremo de Delectione morosa agendum.

An omnis tentatio sit peccatum.

NOn loquor de tentatione Actiue sumpta, id est, vt est à tentante, quia hæc cum sit actus inordinatus tendens ad deceptionem alterius, sine peccato esse non potest. Sed de tentatione passiua, quæ recipitur à tentato. Sed vt certa ab incertis distinguamus: Certum inprimis est non omnem tentationem esse peccatum, procedentem à Dæmone & mundo: quia & locus est victoriæ, & meritum in huiusmodi tentatione. Et saluator noster, in quem peccatum cadere non potuit, à tentatore tentatus est.

Agitur hic de tentatione passiua.

Conclus. 1.

2. Deinde non est dubium, si tentatus delectetur, vel consentiat huiusmodi tentationi, peccatum esse leue, vel graue pro ratione delectationis, consensus & materiæ, quæ in tentatione concurrit. Vbi & hoc pro hac materia notandum; quod cum consensus sit voluntatis determinatio, cum deliberatione erga rem, quæ suggeritur, vel cogitatur, duplex est; formalis siue verus, & interpretatiuus, siue secundum quid. Formalis quando simpliciter voluntas consentit, & vult adhærere tali rei, vel cogitationi, vel delectationi. Interpretatiuus quando aduertit rem, vel delectationem cui adhæret esse malam & periculo expositam, non tamen resistit, tum interpretatiue

Consensus duplex.

Formalis.

Interpretatiuus.

tiue consentit, quia qui tacet quando ei loqui incumbit, consentire videtur, Dubium explorandum nunc restat.

An omnis tentatio Carnis sit peccatum?

VT hæc res eo melius intelligatur, & ea quæ à Doctoribus circa hanc materiam dicuntur, discernantur. Aduertendum quod motus sensualitatis in carne, quandoque possit oriri ex qualitate, & dispositione naturali, vel etiam accedente motione phantasię, sicut in brutis, & hominibus dormientibus, sine causa antecedente, (intellige voluntaria) qualem & motum Diabolus concitare in nobis, nobis inuitis, ex potestate suæ naturæ quæ corporalia eius mutationi subsunt, nisi à Deo constringatur; valet. Qua de causa in Ecclesiastico hymno, qui tempore noctis dici solet, precamur; hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora. Tales motus siue efficiantur arte Dæmonis, siue ex aliqua qualitate corporis, vtpote quia fortasse nimium calefactum, in se non habent vllam rationem peccati venialis, nisi fortasse quis causam culpabilem det, & voluntariam, his motibus. Est itidem alius motus qui non ex causa naturali, sed apprehensione, vel imaginatione, rei turpis & delectabilis

bilis in ſenſualitate ſequitur, & cum appetitus videatur habere aliquam licet paruam libertatem; prout poteſt obedire imperio rationis, talis motus dicitur eſſe peccatum veniale, licet leue ſecundum antiquorum Theologorum Doctrinam, vt tradit Magiſter ſent. in 2. diſt. 24. Quem ſequuntur S. Thomas ibidem, & 1. 2. quæſt. 47 art. 4. ad 3. Bonauent. in expoſitione Literæ Magiſtri, Palud. & alij, Alexand. Hal. latiſſime in 2. parte. q. 123. perid. 10. membra. Alij vt Gabriel ſuper cano. miſſæ lect. 27. & quidam recentiores ſunt in contrarium. Dicendum ergo cum Gabriele, licet omnis motus carnis ſiue tentatio, ſit vitium, non eſt tamen peccatum, etiam minimum veniale, Quod ſit vitium, patet, quia eſt defectus in actu ex parte potentiæ, qui ſecundum primæuum naturæ ordinem eſſe non deberet, quia ſic natura noſtra creata fuit, quod in omnibus, ſenſualitas ſubeſſe debeat rationi. Et hinc notandum quod aliud eſt peccatum, aliud vitium, ſunt enim multa vitia naturalia, in quibus nulla eſt ratio culpæ, ſed omne peccatum etiam leuiſſimum, habet aliquid culpæ annexum. Conſtare itidem poteſt, quod non omnis huiuſmodi motus eſt peccatum, cum nihil ſit peccatum, quod non aliquo modo voluntarium: Sed multi huiuſmodi motus, poſſunt eſſe omni modo inuoluntarij,

Omnis motus carnis vitiū non peccatum.

Peccatum voluntarium.

rij, vt si Dæmon ex mera sua malitia, non dante tentato vllam causam, excitet imaginationes turpes in homine, ad quas subito sequantur huiusmodi motus, tunc non peccaret, quia prohibere non posset, nemo autem peccat in eo quod vitare non potest. Secundo, Accipiantur motus huiusmodi moraliter, oriri possunt in aliquo, qui audit cōfessionem de rebus turpibus; & fiat tale argumentum: Si sunt peccatum, aut sunt commissionis, aut omissionis, nō commissionis, quia nullo modo vellet & contra suam voluntatem patitur, non omissionis, quia vt omissio imputetur, talis esse debet, vt quis eam præcauere possit & teneatur, sed talis non potest præcauere, quia ex officio debet audire. Deinde asserendum illos motus tantum imputari ad culpam venialem, qui aliquo modo sunt volūtarij in se, vel in sua causa; patet quia ad culpam etiam venialem, requiritur aliquo modo voluntarium, & cum ad peccatum veniale, minimum voluntarium sufficiat, vt plurimū in huiusmodi motibus, (præcipuè quando oriuntur ex apprehensione sensuum) homo ponit aliquam causam. 2.

De Cogitatione.

AD resolutionem huius materiæ, quæ quotidie in exercitio occurrit, adferen-

da & clarius explicanda quę à Cardinale Caietano in ſumma, verbo cogitatio, dicuntur: inſeruiunt. Quinque autem modis poteſt quis peccare cogitatione. Primo cum mens vana aliqua cogitatione occupatur, & tunc eſt veniale peccatum; ſicuti enim aliquis peccat verbo ocioſo, ſic etiam peccat ocioſa, & vana cogitatione.

5. modis cogitatione peccari poteſt.

1.

2. Secundo, cum conſentitur abſolute in peccatum, perpetratum, vel perpetrandum, idque mortale, & tunc eſt peccatum mortale.

3. Tertio quando conditionaliter conſentitur in tale peccatum, puta, ſi abſque infamia & periculo poſſem committere tale peccatum e.g. fornicationis, &c. nec refert ſiue conditio poſſibilis, ſiue impoſſibilis, & huiuſmodi conſenſus ſi eſt de actu qui ex natura ſua eſt mortalis, eſt peccatum mortale, ſi autem actus in quem conſentitur eſt veniale, peccatum eſt veniale. Ratio quare huiuſmodi conſenſus eſt peccatum, eſt, quia quamuis conditio nihil ponat in effectu, eſt tamen voluntas, quæ implet rationem peccati, etiamſi non ſequatur opus externum ob impedimentum, eſt parata in affectu ad perpetrandum tale malum. Si quis autem hac ratione diceret: Si talis actus non eſſet culpa, vel non eſſet prohibitus,

tus, facerem, non est plus quam veniale, secundum Doctorem prædictum.

Quarto consentitur in opus non malum simpliciter, sed illicitum propter suum statum, vel votum, vt si dicat Religiosus, si non essem Monachus, non fierem, vel sacerdos: si non essem sacerdos ducerem vxorem. In huiusmodi, nisi peccatum veniale communiter interuenit propter remissam voluntatem ab inchoato bono. Et scito, vt bene admonet Caietanus: omnes conditionales secundum hunc modum, & multo magis secundum præcedentem, esse opera & tentationes fatuas & Diabolicas, quę ad nihil nisi peccatum inducunt. Quinto quando cogitando interuenit delectatio morosa. 4. 5.

De cogitatione siue delectatione morosa.

DElectatio morosa est voluntaria delectatio, de actu malo cogitato, sine desiderio & voluntate talem actum perficiendi, vel vt clarius ex S. Thoma 1. 2. q. 74. Est quando quis cogit de actu, non vt illum faciat, sed vt delectetur de ipso actu cogitato. Non autem dicitur morosa cogitatio à mora temporis, quia statim fieri potest, sed *Delectatio morosa quid.* *Quare morosa.*

propter moram quam facit ipſa ratio in ea expellenda, vel quia ratio aduertens adhuc moratur cum delectatione, in cogitatione talis actus, & ſic in moroſa delectatione ſecundum Doctores, non tam conſideratur mora temporis, quam mora conſenſus, quia mora temporis cum ſit circumſtantia non aggrauans in infinitum, ſed ſolum in eadem ſpecie, non facit de veniali mortale, ſed ipſa mora temporis, ſolum occaſionaliter facit, vt veniale fiat mortale, videlicet in quantum inducit conſenſum verum, vel interpretatiuum: Tunc autem inducit conſenſum verum, quando ex huiuſmodi mora diuturnæ delectationis, creſcit libido, adeo vt homo velit omnino in vitiorum delectatione perſiſtere, licet non intendat opere implere: Tunc vero inducit interpretatiuum quando homo aduertens periculum delectationis qua detinetur, negligit eam compeſcere per imperium rationis & voluntatis, tunc enim ſe exponit periculo peccati mortalis. Vt huius peccati natura plenius intelligatur, quædam ſunt conſideranda.

Quando inducat conſenſum verum.

Quando interpretatiuum.

1. Primo, an huiuſmodi delectatio ſit de eo quod eſt peccatum: Si enim actus & obiectum delectationis, non ſit peccatum, delectatio etiam non erit peccatum; ſi autem veniale non erit delectatio moroſa plus quam veniale. Secundo, vt

do, vt qui delectatur vel cogitat, aduertat se cogitare & delectari: nam si non aduertat, etiamsi diu duraret, non esset peccatũ mortale, & hæc aduertentia debet esse cum deliberatione rationis, vt docet Caiet. Tertio, vt non resistat tali delectationi vel cogitationi, & eam à se repellere contendens, quod si faceret esset locus virtuti & merito. Nunc resoluenda est hæc materia & dicendum. Primo. Delectatio morosa de actu aliquo turpi, & mortali, est peccatum mortale, hoc dictum est certum Magist. sent. in 2. dist. 24. S. Bonauent. & alij Scholastici ibid. S. Thomas 1.2. q. 74. art. 8. Alexd. Halens. loco citato. membro 11. Summistæ in verb. cogitatio morosa & delectatio. Secundo, quando Ratio perfecte deliberauit talem cogitationem esse mortalem, etiamsi non sequitur consensus in voluntate, si continuo non dissentit, sed medio modo se habet, nec positiue resistit, nec consentit, si continuatur delectatio, est peccatum mortale vt tradit Caiet. in summa verbo. Delectatis, & in lib. 22. 27. quæst. 9. 6. Probatur itidem ratione. Talis interpretatiue consentit, quia qui tacet quando contradicere tenetur, consentire videtur. Tertio, Si Delectatio solum est de cogitatione, & non de re cognita, puta de cogitatione, quia est pulchra adinuẽtio, &c. tunc si est propter bonum finem v. g. vt doceat de

Margin: 2. — *Aduertentia debet esse cum deliberatione rationis.* — 3. — *Solutio* — 1. — 2. — 3.

tali peccato, vel disputet, non est peccatum, sed meritum; si autem propter vanitatem est veniale, nisi aliquod immineat periculum. Obseruandum hic est, quod peccatum morosæ delectationis, non solum in peccato carnis, sed in omni genere peccatorum accidit, secundum Thom. & Bonauent. & quisque facile tentatur hoc peccato, circa illa peccata in quæ animus multum inclinatur, quia secundum Thomam loc. citat. quod aliquis consentiat in talem declarationem rei cogitatæ, prouenit hinc, quod nullus delectatur nisi in re quæ est conformis suo appetitui: Vnde carnalis facile incidet in delectationem morosam circa peccatum Carnis, Iracundus circa materiam vindictæ vel percussionis. Ad hæc, hoc peccatum communiter non ita sæpe committitur à bene dispositis & vigilantibus in suis actionibus, sed male ordinatis in animo & ociosis, qui callem in vitijs & prauis concupiscentijs obducunt, quique semper parati essent ad explendum peccatum in opere, nisi infamia & pudor humanus prohiberet. Vnde quia in opere non possunt habere delectationem, illa suauiter in recordatione tenentur, vt docet S. August. in 12. de Trin. 12. postremo quoniam in huiusmodi delectationibus, maxime si carnales sint, semper inest aliquid periculi, tutum est vt is qui

Nota peccatum delectationis in omni genere accidere.

Quibus communiter eueniat.

qui huiusmodi delectationes habuit, & dubius est an consenserit, vel sufficienter restiterit, de illis in confessione se incuset, dicens, se dubitare an quantum debuerit illis resistere contenderit, si autem se credit consensisse, vel non restitisse vt eis delectaretur, vel negligens in expulsione, vel probabile periculum consentiendi admisit, confitendum est. Circa hoc peccatum, si quis dubitet an veniale vel mortale peccauerit, consultum est eligere partem tutiorem, vt ita confiteatur & pœniteat quasi de mortali: Alias periculo se exponit in dubio. Sic D. Bonauentur. S. hic vir satis bene dicit, sed melius ad saluandam veritatem confessionis dicit se dubium esse, an venialiter vel mortaliter, quod enim dubium est, in confessione tanquam dubium confitendum. Quare cum dubius est in corde, si cõfiteretur se mortaliter peccasse, non esset veritas, sed duplicitas in confessione, & causa humilitatis, etiam in confessione non licet minimum mendacium dicere præsertim in confessione. Neque enim satis est confiteri hoc peccatum in genere, peccaui peccato delectationis morosæ, sed oportet exprimere in specie actũ peccati, v.g. peccaui morosa cogitatione vel delectatione iræ, vel actus fornicationis, &c. Ratio est, quia cum

Qui dubius de consensu quid ei faciend.

In confessi, etiam causa humilitatis mentiri nõ licet.

Explicanda species.

delectatio trahat suam bonitatem & malitiam ab obiecto, circa quod versatur, si actus illius peccati in quo delectatur sit malus & peior, sic eius delectatio erit, & cum peccata non sint paria, delectationes quæ versantur circa peccata, non erunt pares in malitia. Pro conclusione huius materiæ, omnes quotquot saltem desiderant, integro corde dominum nostrum deprecari debent, quo ab his interioribus animi motibus, & conflictionibus liberare dignetur, qui eo periculosiores, quo magis nostra voluntas ob summam carnis vnionem, ad carnalia desideria inclinat, vt pie & sapiēter admonet D. Martinus Nauarrus, vir omni pietate & sapientia præstans in manuali cap. 11. nu. 9. Ad hæc mirum in modum iuuat contra peccata cogitationis, vigilantem omni tempore habere cordis custodiam. Quemadmodum S. Isaias Abbas orat. 19. Virgo quotidie manè cũ surgit, nihil aliud curat, nisi vt ornet se sponso suo, & speculo explorat diligenter, ne qua macula resideat in vultu suo qua sponsus offendatur. Sic magna quotidie cura & diligentia sancti, cogitationes, sermones, actionesque explorant suas, ne quid in illis sit, quod cœlesti sponso displiceat.

Pro liberatione orandus est.

CA-

CAPVT V.

De aliquibus particularibus Dæmonis suggestionibus, siue tentationibus, quæ maxime in initio conuersionis, acrius animam solent impetere.

NOn sine causa à Sapiente Eccles. 2. dictū est: Fili accedens ad seruitutem Dei sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem, quia prima cura inimici est, vt animam fidelem detineat, atque peccatorum vinculis constrictum euadere non sinat, si vero diuina confortante gratia, omnes inimici laqueos ruperit, sua accedit industria, vt quibuscumq; modis, & dolis potest, eam ad vomitum redire curet, & quia maxima pars victoriæ in tentationibus, quibus hæc vita abundat, cum nihil aliud vita hominis sit quam militia super tertam, tentationes & insidias cognoscere: consultum visum est, (prout in alijs spiritualibus documentis premisimus) aliquot tortuosi serpentis anfractus ponere ante simplicium oculos, quibus cognitis valeant, alias similes insidias, in latibula aduertere, cognitasque fraudes studiose deuitare. Si quis autem omnes Dæmonū tentationes, per omnia aperire contenderit, is &

Iob. 7. c.

Omnes Dæmonum tentatio-

nes aperire non humanum sine speciali reuelatione. is & pluuiæ guttas, & maris arenam dinumerare niteretur, cum id fieri ab homine mortali carne induto, sine speciali Dei reuelatione nequaquam possit, moliretur. Nos igitur eas tentationes colligemus, quas ex sacris literis, sanctis patribus, patrum factis, doctoribus, vsu, experientia atque industria habere potuimus. Neque hos omnes, sed tantum eas, quæ magis ad quotidianum profectum faciunt. Quoad reliquas, viam sternemus & sapientem in viam ducemus. Hic autem ordo seruabitur: In primis ponemus tentationem, deinde quæ sunt necessaria pro intelligentia tentationis, vel etiam remediorum contra tentationes, aut salutaria documenta subijciemus. Ad extremum remedia, quantum cum gratia Dei fieri poterit, ad feremus, contra tentationem positam.

Tentatio 1. circa eos quos habet in vinculis. Prima tentatio: Si peccatorum vinculis quem constrictum tenet, contendit, vt eum in peccatis retineat, donec sopitus vitiorum somno in peccatis callem ducat, sicque vitam finiat. Qua de causa recte dicitur aspis, qui est paruus serpens, & viuentia sua veneno inficit, sunt autem plures aspidum species, disparesque effectus adnocendum habent, vt scribit Solinus; *Diabolus dicitur aspis.* Appellatur somniculosa aspis quod somnum mortifierum percussis immittat, &

Dia-

Diabolus aſpis hoc modo dici poteſt, quia ſomnum vitiorum immittit. Vnde bene ſcriptura admonet: Surge qui dormis & illuminabit te Chriſtus: Et iterum tempus eſt iam nos à ſomno ſurgere, qua ratione Diabolus à quibuſdam doctoribus aſpis dicitur quoad peccantes; dicitur & aſpis eſſe ſurda, quia dum cantatur, in vnam aurem ponit caudam, ne audiat vocem incantantium, aliam figit in terram; vt ſuum intentum conſequatur, pluribus vtitur perſuaſionibus ad decipiendum: In primis longitudinem vitæ ſuggerit, & ideo differendam eſſe pœnitentiam, & vitæ emendationem, vt tandē conſuetudinem peccandi, quæ magna cum difficultate vincitur, inducat, Ad ſuccurrendum huic ſuggeſtioni, attende inprimis, quę S. Chryſoſt. homil. 22. ad populū Antiochenum, monet; Anima quæ ſemel peccatū guſtauit, & neque dolore, neq; pœnitentia eius tangitur, negligētia ſua facit, vt ſemper morbi creſcat acceſſio. Et quemadmodum in materiam recentem cadens ſcintilla, ſtatim tactam accendit, neq; ſubſiſtit, donec quod reliquum eſt depaſcatur, & quanto plura comprehendit flamma, tanto maiores vires ad conſumenda alia concipit, capiturque edacitate lignorum quæ conſumuntur, ſi quid reliquum, quod & ipſum conſumendum, & iterum alia conſumit, ſemper fortius arden-

Epheſ. 5. cap.

Rom. 13.

Promittit longam vitam.

ardente incendio. Sic & natura peccati, vbi
Initijs resistendum. cogitationes animum inuaserint, & nemo
est qui malum extinguat, procedens vlterius, peior semper fit, magisque ac magis indomita, & ideo posteriora peccata ferme prioribus sunt grauiora. Accedit ad hæc quod anima posterioribus peccatis ad maiorem semper desipientiam & inconsideratiionem vergit, viribusque destituitur. In hunc modum plurimi qui priorem flammam non extinxerunt, in omne peccati genus incidêre: hæc S. Chrysost. quibus verbis innuit, quanta sequantur mala, si homo statim peccati iugum non excutiat. Pro remedijs, obijcienda est veritas falsitati; veritas (ait) vigilate quia nescitis diem neque horam; mors tanquam fur in nocte venit quãdo minime putabitis, veritas ait Eccle. 9. nescit homo finem suum, sed sicut piscis hamo, & sicut aues comprehenduntur laqueo, sic comprehenduntur homines in tempore malo: fallit igitur fallax quando longitudinem vitæ promittit, & dilationem pœnitentiæ suggerit.

1. *Math 24. cap.*

2. Secundum, Attende quid sperare debeas, si conuersionem differas in vltimam vsque horam. Etsi Deus sit potens, vt omni hora tibi cõdonet delicta, nunquid tamen id tibi diuinæ Iustitiæ legibus congruum tibi videtur, vt omnibus diebus vitæ tuę, quibus malum à bono discernere potui-

sti,

ſti, inimico Dei inſeruias eique adhæreas, tandem in promptu habere ad tuum placitum valeas, Deum amicum, quem odio proſecutus eſt? ſuggerit hic quod per Prophetam dicitur. In quacunque hora ingemuerit peccator omnium iniquitatum eius non recordabitur, verum hoc eſt, ſed perfide; Attende in alio loco ſcripturam Deut. 4. Hier. 29. Cum quæſieris dominum Deum tuum inuenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris eum, & tota tribulatione animę tuę. Quis tibi ô Homo cœce dabit, vt in illa hora ex toto corde ingemiſcas, quando amor præſentis vitæ detinet, propria conſcientia ſceleris arguit, morbus angit, mors terret, Diabolus propter vitam peſſimè actam, & pœnitentiam dilatam, ad deſperationem mouet? Tertium, hæc conſidera ô Homo, quiſquis Diaboli argutijs falleris, & quod talis erit finis, qualia opera præceſſerunt, & qualis vita cuiuſque fuit, talis erit & mors. Vnde bene Aug. tradit in quodam ſermone, quod nunquam male eſt mortuus qui bene vixit. Et ſi Regulam ſanctæ ſcripturę tanquam certiſſimum aſtrolabium velimus inſpicere, quid frequentius proponit, quam quę ſeminauerit homo, hæc & metet? Reddet vnicuique ſecundum opera ſua, & opera ſequuntur illos? Et Philoſophorum etiam eſt axioma. Qualia ſunt media ad finem, talis erit & finis; ſi vita

Periculoſe protrahitur pœnitentia.

Qualis vita hominis talis mors.

Ad Gal. 6.

Rom. 2.

si vita laudabilis mors sequitur honesta; si conuersatio in lege & timore Dei; mors tuta & in amore Dei; si vero vita mala, haud facile præsumendum mortẽ sequutaram felicẽ.

Atque vt hic aliam Dæmonis à contrario aperiamus tentationem & suggestionem, ne in obliuionem veniat, quam solet quandoq; ingerere eorũ animis, qui iam peccati onus abiecerunt, atque sua crimina præterita detestati, ex sua arte impacatam studet animã reddere, ingerens quod Diabolus in fine vitæ, enormia peccata illis obijciet, & sic tandẽ desperabunt, sic timidas quandoque vrget conscientias, vt quieto animo homo non valeat seruire Deo, sed angore perturbetur.

Tentatio. 2. Circa eos qui onus peccati abiecerunt.

Remediũ. Pro huiusmodi timidis, hæc ex dictis, habeatur pro remedio consolatio Ezech. 32. Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua; & alibi 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, &c. omnium iniquitatum eius non recordabor. Si in tempore egisti pœnitentiam, quantumuis enormia fuerint nocebunt, non prævalebit contra te Diaboli terror. Non memini (cum S. August.) me legisse male mortuum, qui bene vixit. Qualis vita, talis & mors, bona vita bona mors; Deus Opt. Max. non deserit eos in fine, qui excusso Diaboli iugo, sibi deinceps fideliter inseruierunt,

com-

compescit Diaboli in fine rabiē, angelorum adhibet custodiam, piorum hominum procurat consolationem, & animam tuam suo auxilio munit,ita vt constanter dicas: si consistant aduersum me castra non timebit cor meum. Sic Antonio Abbati Alexandrino, in spiritu visum legimus, aliquando se ab angelis in cœlum ferri, & dum ferretur, malos dæmones iter impedire conatos obijcientes ea quę olim ipse in seculo viuens commiserat, sed ab angelis repulsos asserentibus, ea omnia monachali professione deleta esse, nec quicquam deinde super extare, quod ab ipso perperam factum posset argui. Forsitan de hac materia infra plura inserentur, interim hæc pro consolatione timidis sufficiant. *Psal. 26.* *Exemplū.*

Quarto Monere peccantem ad conuersionem possent bona quæ amittit, dū in statu peccati manet, & mala quæ incurrit. De quibus ad longū legendus Episcopus Lugdunēsis. To. 2. de virtutibus & vitijs in Trac. de Acedia cap. 5. 2. Inimicus vt hominem in peccatis detineat, solet suggerere magnitudinem misericordiæ Dei, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, & pronior est ad miserandum quam ad puniendum. Huic susurroni obijcias in primis illud Ecc. 5. Ne dicas misericordia Dei magna est, peccatorum meorū miserebitur. *Vt hominē detineat Diabolus quid suggerat.* *Remedium 1.*

Se-

2. Secundo, cogita quando ex instigatione sic
Matth. 20. rationaris, tibi à domino dici. An quia ego bonus sum oculus tuus nequam est? Tu malus & inimicus esse vis, sic te argumentum Spiritus Sanctus non docuit formare, sed Angelus mortis. Aliter Spiritus Sanctus, & bonus argumentatur. Quia Deus benignus & misericors, dignus est, vt à te honoretur, tu eius iussa exequaris, & eum præ omnibus
3. ames. Tertio, altius perpende, si tantum præsumis de misericordia Dei, an etiam possibile esse queat, vt in æternum damneris stante misericordia Dei, si non credis, hæc tibi fidem facient, & timorem incutient, nisi omnino cœcus & surdus sis. Cum eadem misericordia Dei de cœlo cecidit Lucifer, cũ ingenti spirituum exercitu. Ad hæc stante eadem dei benignitate, multi infidelium singulis diebus descendunt ad infernum: Sed
Matt. 20. quid memoro infideles, cum ex fidelibus multi vocati, pauci vero electi sint? Fuit & olim Deus misericors, sed originali mundo non pepercit, sed eum extinxit; fuit benignus, sed Sodomam & Gomorram aliasq; ciuitates in cinerem, ob peccata redegit; fuit clemens, sed destructionem Hierusalem, direptionem Babyloniç, subuersionis Niniue, aliarumque vrbium permisit, Tot, stante misericordia diuina, intereunt, & præsumis de eadem, quod cum male viuas, tibi velit par-

Non præsumendũ omnia Dei.

parcere. An hæc tibi fortasse in exemplum posita, vt vitam quam primum emendes, si in misericordiam Dei speras. Forte Apost. Petrus 2.c.2. Veritatem his tibi verbis ostendit. Si enim Deus, ait, angelis nõ pepercit, sed cadẽtibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari, & originali mundo non pepercit, sed octauum iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundi impiorum inducens, & ciuitates Sodomorum & Gomorreorum in cinerem redigens, euersionem damnauit, exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens, & post pauca, in consolationem iustorum, & desolationem impiorum subdit: Nouit dominus, pios de tentatione eripere, iniquos vero in die Iudicij conseruare cruciandos, &c. Fallax igitur spes, & inanis præsumptio à Diabolo suggesta, quod cum impie viuas, salutem pro tua volũtate habere debeas. Tertia. Tentatio ad eundem effectũ homini iacenti in peccato, cogitanti de conuersione ad Deum, obijcit difficultatem mandatorũ Dei, & asperitatem viæ virtutis. Hic obijcienda est mendaci, lex illa, consolatione plena saluatoris Math. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &c. Iugũ enim meum suaue est & onus meum leue, si enim solum attendamus nostras vires, mandata Dei difficilia sunt, immo impossibilia, at si

3. Tentatio. Obijcit difficultatem mandatorum.

Remediũ.

diuinum auxilium intueamur, nihil difficultatis occurrit. Omnia (ait Apost.) possum in eo qui me confortat. Vnde fallit inimicus cum difficultatem nobis proponit, non etiam demonstrando Dei gratiam charitati nihil difficile. Hæc autem est charitas Dei 1. Ioan. ca. 5. vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. Quid, cum exempla homines malint quam verba perscrutari, innumerabilia facta eorum, qui legem obseruauerunt, sunt. Sed quid dicam legem? plura perfecerunt quam Deus præceperit & lege statuerit. Recogita Apostolorum supererogationis opera, Martyrum victorias, confessorum mirabilem conuersationem, virginum castitatem, & in subiuganda carne multorum rigorem, & videbis nihil esse difficile amanti deum & propriam salutem. Quisquis legem dei difficilem, & præcepta aspera conqueritur, nec dum intellexit, quid sit nomen Iesus. Quid enim nisi saluator, vt saluet populum suum à peccatis eorum? quam ob causam cœlitus in mundum venit, nisi vt nostram salutem operetur? ob nostram salutem venit, ob eandem mortuus in cruce, resurrexit, ascendit ad cœlos, Spiritus Sancti gratiam misit, & in corda hominum diffudit, omnia beneficia contulit, vt vias asperas & difficiles, suaues & leues efficeret. Id autem etiam Esaias 40. de eius

Ad Philip. 4.

Amanti nihil difficile.

eius aduentu vaticinatus est. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Imo recte quis viam vitiorum difficilē dixerit, de ea enim scriptum est. Perambulauimus vias difficiles, & lassati sumus in via iniquitatis. Difficile est in mundo esse vinctum cathenis & funibus, importabile onus tyrannide vexari, laboriosum graue onus semper humeris portare. At peccata sunt vincula & funes, quibus impius constringitur & ligatur, eorum malo homo subijcitur crudelissimo tyranno Dæmoni, & grauissimum pōdus quod ipsum ad inferos demergit fert. Optime ergo quis suggerenti difficultatē mandatorū Dei, obijcere potest miserrimam & Ægyptiacam seruitutem Pharaonis infernalis in via vitiorum. Optima ergo viuendi forma est eligenda, quam iucundam reddet consuetudo, & leuem amabilemque gratia Christi, non secus atque pueris molestissimum est in principio quidem studijs vacare, atque ad ea verberibus compellendi sunt. In progressu vero, quando studiorum gustum capiunt, & fructum experiuntur, amore literarum patriam relinquunt, parentes, quibus in terris nihil anteponunt, deserunt, inopiam perferunt, omnemque molestiam deuorant. Sic virtutis via initio quidem ardua & diffici-

Via vitiorum difficilis.

Sapient. 5. cap.

2.

Consuetudo facilem reddit.

Simile.

lis eſt, ita vt homines metu ſuppliciorum ſint verberandi: At in progreſſu, quando vident & guſtant quam ſuauis ſit Deus, amore pręceptorum diuinorũ egrediuntur de cognatione, gẽte & patria, & de omni ſubſtantia ſua nihilque ducunt ſuauius eſſe, quam Deo in hoc mundo ſeruire, & deinde cum ipſo in ſecula ſeculorum in cœlo regnare.

4. *Tentatio.* Quarta. Quod in Pharaone Exodi 1. figuratum eſt, hoc Pharao infernalis quotidie facit cum eis qui Ægyptum egredi volunt, & ire in deſertum, vt domino ſacrificent, vbi enim audiuit Pharao populũ Dei, velle ex Ægypto diſcedere, vt Deo ſacrificaret, confeſtim grauioribus eum laboribus operum luti, & lateris opprimere cepit. Eodem Diabolus modo ſi quem aduertit eius eſſe animi, quod velit Aegyptiacam ſeruitutem deſerere, vt Deo ſeruiat occupat grauioribus tentationibus, delectationibus carnis, & ſecularium deſideriorum aggreditur, vt non habeat otium ad cogitandum de Dei ſeruitute. Contra hanc tentationem, eadem nobis poſſunt remedium præbere, quę dominus exercuit cõtra Pharaonem, antequam populum dimitteret: Per Moyſen & Aaron admonuit Pharaonem ſæpius plagarum, multiſque eum, cum eius cor induratum eſſet, pœnis affecit: cum autem nihil proficeret ad extremum, ſecundum promiſſionem liberauit eos de ſer-

Opprimit volentem reuerti, tentationibus.

Remediũ.

ſeruitute Pharaonis, & eduxit manu potenti per mare rubrum. Sic cum Diabolus ſit induratus, nec velit dimittere animã, niſi Deus manu ſua potenti vincula peccati rumpat, animamque per mare huius mundi ad ſolitudinem, vt ei inſeruiat, ducat. Exorandus eſt Deus, vt miſeram animam à poteſtate Pharaonis liberet. Interim tamen huiuſmodi homo, qui ad ſalutem aſpirat, memor eſſe debet, ſui ſtatus in quo eſt, & totis viribus aſpirare ad liberationem, ea adhibere media, quæ Deus dedit. Ad huius Tentationis materiam S. Gregorius accedit lib. 24. moralium cap. 12. In prima conuerſionis vice grauis mœror eſt, cum ſua vnuſquiſque peccata conſiderans, curarum ſecularium vult compedes rumpere, & viam Dei per ſpatium ſecuræ conuerſationis ambulare, deſideriorum temporaliũ graue onus abijcere, & leue iugum domini, libera ſeruitute portare, cogitanti enim iſta, occurrit illa familiaris ſua delectatio carnalis, quæ inueterata dudum, quanto diutius eum tenuit, tanto acrius aſtringit, atque à ſe tardius abire permittit. Nunc autem accedendum ad tentationes quæ poſt conuerſionem vexare ſolent, hæ & plures & vehementiores plerumque ſunt. Hoſtis noſter, iuxta eiuſdem Doctoris doctrinam, ad huc in vita nos poſitos, quanto nos magis ſibi rebellare conſpicit,

tanto amplius expugnare contendit. Hoc enim in seipso Dominus sub quadam dispensatione figurauit, qui diabolum non nisi post Baptisma, se tentare permisit, vt signum nobis quoddam conuersionis futuræ innueret quod membra eius, postquã ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum insidias tolerarent. Hinc aduertendum ex prædicto sancto cap. 13. quod tres sunt modi conuersionum, Inchoatio, medietas, atque perfectio. In inchoatione autem inueniunt blandimenta dulcedinis: in medio tempore certamina tentationis, ad extremum vero perfectionem plenitudinis, sæpe autẽ aliqui incipientes non tentantur Deo sic disponente, ne in principio Tentationum asperitate frangantur, quia cum nec longe processerint, facile ad ea quæ reliquerunt redirent. Prius ergo pace & consolatione nutriuntur, post vero cognitam dulcedinem tanto tolerabilius tentationum certamina sustinent, quanto in Deo altius cognouêre quod ament. Plerumque itdidem contingit quod conuersus quisque talibus tentationum stimulis agitatur, qualibus ante conuersionem nunquam pulsatum se esse reminiscitur, non quia tunc eadem radix tentationis deerat, sed quia non apparebat: quia cum humanus animus multis cogi-

Post profectum vehementiori est tentatio.

Tres sunt modi conuersionum Inchoatio, medietas, perfectio.

tationibus & desiderijs occupatur, sibi ipsi manet incognitus & nescit morbum quo laborat, quia dum per multa spargitur, ab interna sui cognitione remouetur. Si autem Deo vacare appetat, & ramos cogitationum desideriorumque abscindat, tunc tandem clare conspicit, quod de interna carnis radice procedit: Hæc Gregorius multis verbis & dicit & dilatat; Nos autem de varijs tentationibus dicemus, quæ eos vexare non desistunt, qui mare rubrum per conuersionem transierunt, & ad solitudinem, vbi adhuc fere pessimæ grassantur, peruenerunt.

Homô dũ per multa spargitur à sui cognitione remouetur.

CAPVT. VI.

De aliquibus tentationibus quæ nouellas plantas multum solent exercere.

QVinta tentatio. Cum fides fundamentum salutis, & versipellis perspectum habeat, sublato fundamento nullum posse consistere ædificium: nititur periculum facere de fide. Quando enim incipiens aperire oculos, mysteria fidei considerare & gustare solet, statim tãquam insolitum quid & rarum, admiratur, cum adhuc non earum plenam habeat cognitionem.

5. Tentatio circa fidẽ.

Ignorantia enim, ſecundum Philoſophum cauſa eſt admirationis, ſicut enim nouus miles, ſi veniat in armamentariũ inſtructiſſimũ omnibus bellicis inſtrumentis, ſi videat rara & noua arma, admiratione ducitur, incipit inquirere de vſu, exercitio, & praxi, re autẽ cognita, & perſpecta, quieſcit animo nec amplius in inquiſitione curioſus eſt. Sic nouus miles Chriſti, quando articulos fidei puris oculis, depoſitis peccatorum ſordibus, conſiderat, mirabiles ſibi videntur, & curioſus eſt in inquiſitione, & ſi perſeuerat in curioſitate ſua, Diabolus inſurgit, mouet dubia, perſuaſiones adfert, ac falſas rationes quibus animum dubium reddit. Periculoſa multum eſt hæc cogitatio circa myſterium Euchariſtiæ. Cum enim ibi multa ſint quæ ſenſui repugnent, & videantur contra rationem naturalem eſſe, facile accipit occaſionẽ Dæmon tentandi. Remedia contra huiuſmodi tentationem. Inprimis in rebus noſtrę religionis nouus diſcipulus, faciat, quod neceſſe eſt eum facere, qui ſcientijs ſecularibus incipit operã dare, commune enim eſt principium, Adoleſcentem oportet credere in omni diſciplina: Si enim quis fidem non habeat ſuo magiſtro, ad aliquam veram, ſolidamque doctrinam peruenire nequaquam poteſt: Sic qui iam Tyrunculus eſt in ſchola Chriſti, fidem habeat ei qui dixit. Ego ſum via,

Ignorãtia admirationis cauſa.

Simile.

Remedia.

via, veritas & vita, fidem habeat & ſuo duci *Ioan.14.*
qui ei annunciat, hoc ille dixit, qui mentiri
non poteſt. Secundo cum myſteria noſtræ 2.
fidei, humanæ intelligentiæ captum exce- *Myſteria*
dant, & ſupra metam noſtræ naturalis ratio- *fidei huma*
nis ſint poſita, non eſt agendum rationibus *næ intelli-*
contra fallacem, quia opponit plura, quam *gentiæ cap-*
etiam doctiſſimus, ſi in ratione naturali per- *tum exce-*
ſiſtamus, valeat ſoluere; atque ſic maximo *dunt.*
exponet ſe periculo. Agendum ergo contra *Non vten-*
huiuſmodi ſuggeſtionem, animi conſtantia, *dum ratio-*
& ei dicendum, vade poſt me Sathana non *ne.*
ſapis ea quæ Dei ſunt. Tertio. Captiuandus *Matth.16.*
eſt intellectus iugo fidei, ad obſequiũ Chri 3.
ſti, ne plus ſapiat quam oportet; Ad ſuperan- *Rom.12.*
dam etiam hanc tentationem mirum in mo-
dum iuuat, conſiderare ea argumenta quæ
fidei noſtræ capita confirmant, cuiuſmodi
ſint quæ deſumuntur à fidei noſtræ autho-
re, qui Deus eſt, veritas infallibilis; à fidei an-
tiquitate, & ſanctitate eorum qui eandem
per totum orbem, vnanimi conſenſu tradi-
derunt; à miraculis quibus confirmati arti-
culi fidei; à conſtantia martyrum qui eam
ſanguine, & vita corroborarunt; à Prophe-
tarum oraculis, à multitudine virorum, mu-
lierum & puerorum, qui eam in vniuerſo
mundo complexi ſunt: à conſtantia, virtute,
&c. Summæ dementiæ eſt, curioſius inqui- *Remediũ*
rere & dubitare, de eo quod tot tantique il- *Exemplis.*

lustres viri, Patres, Doctores, Reges & principes, iuuenes & senes, firmiter & constanter de fidei articulis tenuerunt, tradiderunt, atque operibus confirmauerunt. Hæc sunt argumenta quibus constans mens se confirmare potest. Hæc sunt testimonia, quibus qui fidem adhibere renuant, non Spiritu sancto, sed diabolica superbia agitantur, si enim talibus suggestionibus daretur consensus, illico omne bonum periret, & voluptatibus cupiditatibusque omnibus frena laxarentur.

Tentatio spiritus Blasphemiæ.

Sexta tentatio: quæ à spiritualis militiæ ducibus, spiritus Blasphemiæ nuncupatur, atque incipientibus quandoque multum molesta, quia multum fœtoris & horroris præsefert, timidis conscientijs, quibus necdum huius conditio tentationis cognita est, facile præbet occasionem perturbationis. Est autem hæc tentatio in hoc posita: Tentator consueuit animis piorum; qui necdũ inpietate constantes, præcipue quando orationi insistunt, vel sacra mysteria intuentur, aut etiam considerant; ingerere maledictionem erga diuinam voluntatem, & obscœna in Dei genitricem iaciant. e. g. (vt saluo honore tãtæ matris in instructione sic referamus.) Quod sancta virgo fuerint meretrix, vel etiam aliquid contra sanctos cũ

Chri-

Christo regnantes, verbi gratia, quod fuerint stulti, qui omnes diuitias & delicias huius mundi contempserint, & miserrimam vitam egerint. Pro informatione, vt rudis adhuc puer in disciplina Christi; & consolationem & instructionem habeat, inprimis sciendum, quod hæc tentatio, vehementer aliquando, de nouo ad salutem conuersos molestia afficit, molitur etiam malignus, vel inducere in desperationem, vel vt arreptam viam salutis, propter tædium tentationis relinquant, Deus autem permittit sic quandoque tentari, vt si non consenserint de die in diem pugnando, & se à peccatis purgando, in humilitate custodiantur, & capaciora Spiritus Sancti vasa efficiantur.

Remedia 1. pro informatione.

Secundo Aduertendum: Nouitij: & quicunque adhuc lacte indigent, & sibi per ignorantiam non possunt auxilium ferre, non confiteantur huiusmodi graues tentationes, cuique indocto sacerdoti & imperito, quoniam qui indoctus & indiscretus, in his & similibus casibus aperiret viam desperationi, maxime tali animæ, quæ timida ex sua natura, aut etiam alias tenerioris esset conscientiæ v. g. si confiteretur Nouitius sibi occurrisse tentationem Blasphemiæ, B. Dei genitricem pessimam esse mulierem, &c. si confessarius esset ignarus; cum piæ aures maxi- 2.

Huiusmodi tẽtationes non cõfitendæ indoctis.

maxime horreant blaſphemias huiuſmodi, & alius confiteretur, ſtatim extolleret magnitudinem peccati, & durius confitentem argueret, non attenta Diabolica illuſione, & hominis, qui talem tẽtationem paſſus eſt, conditione necdum conſiderata, ſine dubio infirmæ conſcientiæ eſſet occaſio maximæ deſolationis.

3. Tertio Annotandum, quantumuis huiuſmodi terribiles cogitationes, & Diaboli motus inſurgant, modo non accommodetur conſenſus, cum deliberatione voluntatis, non faciunt reum peccati mortalis, & ſi quis conſtanter & viriliter reſiſtat, ſunt occaſio magni meriti in terra, & excellentis coronæ in cœlis. Quare perſona quæ huiuſmodi patitur, non nimium terreatur, aut animo deijciatur, quaſi ad electos non pertineat, ſed maiorem concipiat fiduciam & cõſolationem ſe eſſe Dei templum, & propterea tantó impetu ſæuire inimicum, & quod non habet quærit, & ſuis laqueis fugientes inſequitur. Siquis autem imperitus in via ſpirituali, nec ſibi ſufficiens quo ad diſcretionem, ſemper in Confeſſione aperiat, etiamſi non conſenſum dederit, & hoc propter inſtructionem. Tum quiſque etiam doctus confiteatur hoc pacto, talem tentationem, v. g. ſpiritum blaſphemiæ habui, contra talem ſanctum, vel Deum, neſcio an ſuffici-

ficiẽter restiterim quantum potuissem cum Dei adiutorio: Non tamen nimis accurate: quando sunt huiusmodi abominabiles tentationes, eas quantum ad singulas circumstantias enumeret, sed ita dicat vt mentem, Confessarius intelligat.

Remedia. Primum. Qui huiusmodi blasphemiæ spiritu agitatur, caueat ne expauescat, aut perturbetur, aut fiat pusillanimis, sed imperterrito animo transeat, vilipendendo. Si quis autem in his & similibus tentationibus, cum aduersario velit agere rationibus, & cogitationibus eidem contraire, tunc tentatio roboratur & augetur, tunc enim non recedit, sed semper obijcit, vt detineat in tentatione. Homo ergo cum patientiá toleret, & sic transeat, non attendendo ipsam tentationẽ. Similitudinẽ quæ ad instructionem huius rei facit, adfert Dorotheus doctrina. 13. vt viriliter tentationes feramus; sunt plerique in mari natantes, inquit, ex aliqua necessitate, qui cum peritiam & artem natandi optime teneant. Vbi vndas in se proruentes aspexerint, incuruati illis se obijciunt dum pertransierint, atque ita ab illis nusquam læduntur, quod si vellent venienti vndæ se ipsos opponere, illos absq; dubio vnda longius repelleret, & quasi iacularetur in mare, atque ita fatigarentur & frangerentur vi vndarum nihil proficiẽtes.

Item alia Remedia

Non agendum rationibus quibus roboratur.

Simile.

Idem

Idem in tentationibus contingit. Cum quis aduenientem tentationem tulerit cum humilitate & patientia, illam sine molestia, sine læsione vlla pertransit. Si quis angatur, crucietur, perturbetur in quamcunq; querens, se ipsum lædit, & tentationem ipsam grauiorem reddit, ita vt nõ solum non prosit ipsa tentatio, sed maxime obsit. Illi autem sunt vtiles tentationes, qui eas intrepide susceperit & sustinuerit. Varij præterea, varia dant contra huiusmodi tentationes remedia. S. Franciscus docuit fratres suos dicere tentanti, sic aperi os tuum & proijciam tibi stercus. Guil. Parisen. in tractat. de tenta. & resistent. docet cum auersione & irrisione esse dicendum, fije quod est interiectio spernentis. Dices, quomodo homo se auertet ab huiusmodi cogitationibus? Dionysius Carthu. in lib. de remedijs tentationum. art. 3. dicit, conuertendo se ad considerationem rerum salubrium, & potissime ad considerationem eorum quæ pariunt conpunctionem, & salubrem timorem, piam compassionem vtilemque tristitiam. Postremo valet etiam ad expellẽdam huiusmodi tentationem, eam aperire Patri spirituali, & eius instructionem accipere. Vnde apud Clymachum narratur, quod Monachus quidam feruens, viginti annis talibus cogitationibus impugnatus, & propter abomina-

Perturbatus se ipsum lædit.

Quibus vtiles tentationes.

S. Franc. remediũ.

Aliud remedium. Aperienda confessa.

mina-

minationem nemini audebat aperire, tandẽ ex verecundia cum ore confiteri erubesceret, chartæ inscripsit, & cuidam sancto seni, se prosternendo chartam tradidit, eius vultum autem præ pudore inspicere verebatur. Senex autem cum chartam legisset, subrisit, & istum fratrem subleuans; fili, inquit, manum tuam pone super ceruicem meam, quo facto locutus est senex: super me sit hoc peccatum, & ecce antequam frater cellam senis egressus est, à sua tentatione liberatus est; non fuit autem culpa in tentatione, quia nunquam sibi placuit, sed semper displicuit, & cum molestia patiebatur. Septima tentatio. Solet Dæmon pusillorum & incipientium conscientiam stimulis multis, & dubijs, seu, vt vno verbo vocant: scrupulis perturbare, ita vt vix pectem mouere queant præ timore, atque sic efficit, suis suggestionibus & persuasionibus, vt quod nullum peccatum, aut minimum est, mortale credatur. Ex alia parte aliam habet diabolus tentationem; efficit enim vt quis volens vitare scrupulos, incidat in aliud extremum, & ita latam habeat conscientiam, vt etiam grauissimas transgressiones, dicat esse licitas, nec esse peccata. Pro huius rei intelligentia multa sunt pie notanda. Primo, scrupulus nihil aliud est, quam vacillatio quædam, vel formido consurgens, ex aliquibus debilibus

Exempl.

Tentatio scrupulosa perturbatio.

Scrupulus quid.

bus & incertis, vt definiunt Gerſon lib. de conſola. Theolog. proſa.2.& alibi. S. Anthoninus 1. part. lib.3. cap. 10 8.& 9. Dicitur autem ſcrupulus metaphorice in hac materia, à lapillo ſiue ſcrupulo, qui ſi incidit in calceum, moleſtiſſimus eſt ambulanti : Sic Scrupulus conſcientiam exagitat, vt homo vbique timidus & formidoloſus ſit.

2. Secundo Aduertendum quod finis Diaboli eſt in ſuggeſtione ſcrupuloſorum, perturbare tranquillitatem conſcientiæ, quod quando obtinuit, ſcit non diu animam ſtare poſſe. Vnde quando vera peccata non habet homo, quærit falſa, & nodum in ſcirpo, vt auferat pacem. Aliquando etiam hac via, tædio contendit, in deſperationem timidam animam perducere.

3. Tertio, Multæ ſunt cauſæ ſcrupulorum, quas ponit S. Anthoni. 1. part. tit. 3. cap. 10. Et alij ſecundum eundem referunt in diuerſis locis. Nauar. in ſumma cap. 27. nu. 261. Aurea Arm. in v. Scrupuloſus. Ludouicus Grana. in tract. de oratione & deuotione. Prima

1. *Cauſæ Scrupulorum.* cauſa eſt: Complexio ad timorem idonea, vt eſt complexio frigida. Secunda eſt infirmitas capitis, per quam læditur imaginatio : ad

2. hanc reducitur maniaca vel melancholia.

3. Tertia eſt Diabolica tentatio, & hæc ad præ-

4. ſens noſtrum pertinet inſtitutum. Quarta eſt, negligẽtia regiminis corporalis, vt ſi quis immo-

immoderatis vigilijs, abſtinentijs, & alijs exercitijs naturam deſtruat. Quinta eſt, Societas timidorum, vnus enim ſcrupuloſus efficit alium. Simile generat ſibi ſimile. Sexta, Alia cauſa à prædictis doctoribus Scrupuloſorum non recitata, eſt ignorantia. Quarto Aduertendum quod Scrupuli aliquando ſint vtiles, & vt hoc intelligatur: Quidam enim ſcrupuloſi ſunt in recognoſcendis prę-teritis, & in deuitandis futuris, & huiuſmodi in incipientibus non parum iuuant ad purgandam animam. Introducunt enim in cognitionem peccatorum, & efficiunt, vt anima de die in diem purior reddatur. Et de his illud Gregorij. Bonarum mentium eſt culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt, & hæc ſi ſit moderata, non nimis cito amputanda eſt ab eo, qui alios in via ſalutis dirigit. Quando vero in tantum procedit, quod nimis magnam perturbationem mẽtis, anxietatem & triſtitiam, ſimileſque deſolationes inducit, tunc remedia adhibenda, nam tempeſtas multorum malorum eſt, permittere vt anima hac vexatione tribuletur. Quandoque enim facit, vt quod peccatum non eſt, fiat, omne enim quod contra conſcientiam eſt, ædificat ad infernũ. Quidam enim ſcrupuloſi ſunt, in recognoſcendis peccatis præteritis, ſed in cauendis futuris negligentes, & his damnatio propinqua eſt. Quinto,

Margin notes: 5. (beside "Quinta eſt"); 6. (beside "Sexta"); 4. (beside "Quarto"); *Scrupuli aliquando vtiles.*; *Nota.*; 5. (beside "Quinto")

E Cum

Cum hæc tentatio maxime in incipientibus, verſetur in materia ſacramenti confeſſionis, dum is, qui ſua peccata confeſſus eſt, deinde ſtimulis agitatur, ſe hoc vel illud omiſiſſe, illam circumſtantiam, hoc factum, &c. ſemper petit & repetit confeſſionem factam, ſeipſum exagitat, & confeſſarium afficit moleſtia, vel etiam an conſenſum dederit alicui peccato, vel non, &c. Sciendum eſt, ſi quis ſemel in hac materia aperiat portam, & inquirat curioſius non eſt finis, vnus ſcrupulus dat alteri fomentum, quare cum magna fortitudine auertenda eſt cogitatio ad alia. Vt tamen ponamus metam huiuſmodi ſcrupuloſis in confeſſione. Ante omnia, ne quis hic forſitan accipiat ſcandalum, vnde capienda ſit medicina; non reprehendimus hic, modũ faciendi confeſſiones generales, nam id ſalutare iudicamus omni hominum generi, imo eſſe remedium ad ponendum finem multis ſcrupulis, aſſerimus. Hic particulare hoc præſcribimus, vt is qui vult ſe expedire à multis ſcrupulis, dũ firmo animo vitam veterem depoſuit, & firmiori nouam continuare ſtudet, vt commodo temporis ſpatio accepto, totius vitæ ſuæ rationem examinet, peccatorum multitudinem, grauitatẽ, & malitiam æqua lance, cum dolore, quanto cum auxilio Dei humana fragilitas valet, perpendat, & deinde pru-

Nota.

Fortiter auertendi.

Vnus ſcrupulus alteri dat fomentum.

Modus faciendi confeßionem generalẽ.

prudenti, discreto, & in lege diuina perito confessario confiteatur; & conscientiæ latebras aperiat, adhibita tamen prius necessaria instructione ad tam altum opus. Hoc opere cum diligentia peracto, consequenter trado, iuxta aliorum doctrinam & rationem euidentem, homini scrupuloso, esse periculosum repetere confessiones præteritorum peccatorum semel bene confessorum, nisi quis probabiliter dubitet, an sit aliquod peccatum confessus, an non. Quare is, qui cum scrupulosis negotium habet, & eorum in spirituali disciplina dux est, si nimis frequenter post factam salutarem confessionē adhæreant, atque nouos & nouos scrupulos circa peccata confessa moueāt, eos admonere debet, vt stent suo iudicio; scrupulos deponant nō recogitando excitent, & si huic consilio nō acquiescant, sunt obiurgādi, vel acrioribus pœnitentijs afficiēdi, vt acquiescant, nisi in foueam velint ruere, & damnationem incurrere in suo proprio sensu. Immo dico cum quibusdam Doctoribus, qui hoc consilium dant scrupuloso, si semel bene confessus sua peccata sit, cum mediocri præparatione, non aperiat viam omni paruo dubio, quod incurrit circa confessionē, sed sibi ipsi satisfaciat dicendo, mediocrem præparationem feci ad confessionem: ita vt credere debeam, sicuti cœtera peccata

Nota de repetitione scrupulosa.

Item consilium pro scrupulosis.

confeſſus, ſit & hoc, vel in particulari, vel in communi,& quia nõ eſt res tam magni momenti, pro hoc tempore contentus ſum; Quoniam ſi intrauero in pelagus ſcrupuloſorum, nunquam finem habebo, ſicque ineptus ero ad omnia exercitia ſpiritualia. Et ad eum finē ſingularem dat doctrinam Caietanus in ſumma, quam & probat Ludouicus à Grana. quod ſcrupuloſus non tenetur omnia dubia confiteri, quæ illi in cogitationem offeruntur, ſit confeſſus vel nõ, de hoc, vel de illo caſu, quoniam ſi intrauerit ſyluam huiuſmodi ſcrupulorum, nunquam erit finis. Quando autem occurrit alicui ſcrupulus, vel etiam de peccato confeſſo, vel aliquo alio, videat per ſe ipſum, ſi habeat tantam cognitionem vt ſciat diſcernere veram conſcientiam ab erronea, & tunc demittat erroneam, quod ſi non poteſt, conſulat peritos, & ſtet quietus ad conſilium ſapientis, quia non poteſt errare, ſi formet ſic conſcientiã, & dimittat ſcrupulum, ſi non relinquit, tunc vel eſt ſuperbus, vel ſtultus, vt bene ait Aurea Armilla in verb. ſcrupuloſus. Ad huius rei intelligentiam pleniorem, annotandum ex doctrina S. Thomæ 1. part. q. 79. art. 13. quod conſcientia eſt actus animæ iudicatiuus, interdum teſtificans, quod illud fecimus, vel non fecimus, interdum accuſans, vel excuſans dictando aliquid bene, vel male factum eſſe,

Acquieſcendum conſilijs.

Conſciẽtia quid.

esse, & interdum dirigens, dictando aliquid faciendum esse, vel non faciendum. Est autem duplex conscientia, vera quę aliquid vere iudicat faciendum esse vel non faciēdum; Et falsa siue erronea, quæ falsè aliquid agendum vel non agendum, iudicat. Aliter adhuc triplex est. Conscientia certa; quæ pro certo iudicat. Dubia; quæ nullatenus iudicat, sed suspendit iudicium; pro vtraque parte. Scrupulosa, quæ in vnam iudicat partem, sed contra eandem adhuc habet argumenta. Sexto notandum, diligenter cauendum, ne dum documenta hic astruimus, pro angustiori conscientia; instinctu Diaboli in aliud extremum in tentatione assignatum incidamus, scilicet, vt nimis largam conscientiam paremus, his fortassis argumentis decepti, quæ sunt pro scrupulosis adducta. Igitur hæc Regula & mensura obseruetur, quam inuenit Gerson in tract. de remedijs contra pusillanimitatem. In quacunq; parte quis sentit se proniorem ad malum, & tentari se facilius posse, ibi semper opponat remedia præcise contraria: vt si vult inimicus facere conscientiam strictiorem, relaxet, & è contra, si Dæmon velit nimis laxam, restringat; tunc anima seruando medium, in quo consistit virtus; pace & tranquillitate fruetur.

Duplex vera & falsa.

Item triplex.

Certa dubia scrupulosa.

Regula seruanda inter laxā & scrupulosam conscientiam.

Medium seruandū.

Nunc annotanda sunt remedia contra *Remedia.*

hanc tentationem. Etsi ex annotatis pro aliquibus sumi possint remedia, tamen aliud ad huc ponemus, quando enim sunt causæ naturales scrupulorum, illæ remouendæ sunt, per media naturalia, nam cessantibus causis, cessat effectus.

1. Primum morale, & præcipuum remedium contra scrupulosos est ab omnibus animaduersum; suũ iudiciũ submittere prompto animo, iudicio & sententiæ superiorum suorum sapientium & bonorum, & contra eorum communem sententiam, non formare scrupulos timidos. Sicut enim videtur tradere sapiens, Fili, ne initaris prudentiæ tuæ. Et iterum: Noli transgredi terminos quos posuerunt patres tui. Et qui, cum adhuc sit ignarus legis & scientiæ diuinæ, suo proprio vult stare iudicio, & saniori superioris & peritioris non acquiescere consilio, superbus est & ruinæ proximus.

Standum iudicio sapientium superiorũ.
Prouerb. 3. cap.
Prou. 12.
Superbus non acquiescit.

2. Secundum Remedium est, Deus per suam gratiam intus in anima confortans, & foris gratia & auxilio assistens.

3. Tertium, Auersio à re scrupulosa; sicut enim dicitur, qui amat periculum peribit in illo: sic qui se tradit scrupulosæ cogitationi rei, facile in periculo scrupuli succumbit.

4. Quartum, Seruandus est vsus Epijciæ, id est, æquitatis, circa leges & statuta, persuadendo sibi, quod non peccet, si impleat leges secun-

ſecundum mentem legis latoris licet verba non ſequantur. Quintum, Eligenda eſt opinio, modo non ſit contra legem naturalem vel diuinam, vſu recepta: ceſſante autẽ conſuetudine eligenda quę nititur alicui textui, cui non poteſt aptè reſponderi, licet alia opinio etiam innitatur iuri, quando autem communior eſt opinio, ei eſt ſtandum, niſi euidens ratio ſit in contrariũ. Sextum, Optimum eſt remedium, vt quoniam ſcrupulus oritur ex ignorantia, qui huiuſmodi tentatione laborant, eam reponant ad inſtructionem viri prudentis. Hæc de hac re ſufficiant, hoc præmiſſo, quod quoniam ſæpe oriuntur ſcrupuli, an aliquis conſenſum habuerit vel nõ, legantur ea quæ ſupra de conſenſu dicta ſunt, in materia de gradibus ad peccatum.

5. 6. & optimum.

Octaua Tentatio, quæ multum præcedenti eſt confinis: Ingerit diabolus, maxime natura ſua puſillanimibus & pauidis, ingentem timorem, vt trepident vbi non eſt timor, & quando naturalis diſpoſitio ad puſillanimitatem inclinat, facile vel ad deſperationem, vel animi deiectionem huiuſmodi tentatio tendit. Licet enim timor ſit vtilis duris, diſſolutis & remiſſis, cum abhorreat malum & inflammet ad bonum, tamen ſi certis limitibus non contineatur, eſt periculoſus, & frequenter cauſa

8. Tentatio. Trepidatio timoroſa. Timor vtilis duris.

peccati. Cum enim Diabolus perſpectam habeat hominum complexionem & naturam, ſi quem ex naturalibus videat eſſe inclinatum, non negligit ſuo appetitui conformes apponere tentationes. Accidit & quandoque, vt aliqui per cordis puſillanimitatẽ, putent ſe deſperare, cum tamen non deſperent, ſentiunt enim motus deſperationis per puſillanimitatẽ cordis, quæ efficit, quod nõ poſſibile exiſtiment actus virtutis conſequi, vel opus viribus ſuis, tamen proportionatum perficere idque ex timore inordinato & immoderato quo agitantur. Et quando ſentiunt motus in huiuſmodi rebus deſperationis, propter puſillanimitatem, hunc ſenſum, conſenſum eſſe putant. Sed quantumcunque ſentiant, etiamſi quaſi operiantur hac tentatione, quamdiu re contradicũt, nec conſentiunt, nec charitatem amittunt.

Nota etiã quando cõſentiatur in deſperationem.

Simile.

Gerſon tract. de remedijs contra puſillanimitatem, adfert ſimilitudinem ignis, qui in die ardet, nocte operitur cineribus, à quibus ita extinguitur, vt tamen mane ſcintilla inueniatur, quę dũ quæritur inuenitur, & de eadem iterum ignis immenſus incendi poteſt. Eadem eſt ratio de ſcintilla charitatis, ſi intentio tamen manet in ipſa, vt mens adhęreat Deo, & nulla tenus conſentire velit peccato mortali remanet charitas, quæ iterum poteſt incendi.

Puſil-

Pusillanimitas, vt etiam quandoque contingit iuxta dicta in scrupulositate, potest ortum habere ex complexione mala, vel inordinata dispositione in naturalibus, & cum Dæmon perspiciat naturalia, si quem ita aduertit dispositum, vt ad certum aliquod vitium, secundum naturalem dispositionem, facile trahi possit; ibi non negligit, conformem apponere tentationem; si quis ex natura sit pusillanimis aliquo modo, timore concutit, vt nihil audeat aggredi, existimans suis viribus esse impar, cum tamen accedente gratia diuina, & arrepto animo efficere posset, si reiecto timore aggrederetur. Ex hac parte rationem cum malleo maleficorum 1. l'q. 6. possumus reddere, quare magis superstitione & maleficio vexantur mulieres quam viri, tum quia à sua natura mollioris sunt complexionis, vnde facilius recipiunt impressiones reuelationum, tum etiam sunt infirmioris sexus, & quando irascuntur vel in odium incidunt, se non possunt vindicare, offert statim Diabolus, tentando, auxiliũ, tum etiam naturaliter sunt pusillanimes vnde facile incidunt in tristitiam, timorem & desolationem, vt desperent in tentationibus. Vnde & experientia compertum est, quod frequentissimè mulieres, in tam frequentem & pernitiosam artẽ incidant ex pusillanimitate & tristitia.

Remedia contra Pusillanimitatem.

Remedia. PRimum exercere actum spei & magnanimitatis, optimum remedium contra vitia & diabolum, virtutes exercere opposita, & ea considerare quæ ad huiusmodi virtutum actus excitant.

I.

2. Secundum, Deum, eiusque sanctos inuocare. Ait enim Deus. Inuoca me in die tribulationis, &c. Et sicut Dæmones insistunt tentationibus, sic Angeli, & sancti patroni defendunt.

Psal. 80.

3. *Sensui non inhærendum proprio.* Tertium, Proprium sensum non sequi, Patrem spiritualem exercitatum habere, eius consilio in directione salutis acquiescere.

4. Quartum, adhibere remedia quæ contra desolationes sunt medicinæ, de quibus infra.

9. *Tentatio scandalum in Regula circa nouitios frequentior.* Nona Tentatio, quæ frequenter Nouitijs in Religione insidiatur. Et efficit, suis insidijs inimicus vt facile patiantur scandalum in sua Regula, Ordinationbus, constitutionibusque maiorum: Immittitur quæstio, non dissimilis illi, quam produxit in seductione primorum parentum: Cur, inquit, Sathan, præcepit vobis Deus ne comederetis ex omni ligno Paradysi? sic & his insidias struxit inuestigando; Cur maiores nostri hoc prohibuerunt? cur illud non potius? &c. sic incidunt in temeraria iudicia, statuta suorum maiorum facile transgrediuntur & contemnunt, in proprio sensu & scientia con-

confidunt. Hæc Tentatio, etsi minima prima fronte appareat, tamen si quis attendat ad causas, ex quibus procedit, & mala ad quæ tendit, maximè cauenda est. Remedia, Non transgrediaris terminos quos posuerunt Patres tui, interroga seniores & dicent tibi, & ab illis vitæ tuæ institutionem, leges & formam viuendi habeas, qui & scientia claruerunt, & omni peritia excellentes extiterunt, noli ergo eorum facta discutere, si non vis temerarius esse: Deinde perpende huius curiositatis causam; & superbiam, propijque sensus amorem reperies. Vnde hoc Apostoli: Noli nimis altum sapere, sed time; Time inquam ruinam, time exitum, time tentationem quæ te circunstat, atque ad id, quod non prospicis, ducere vult. Suppone iudicium tuum patri spirituali, & sedulo propone exequi quod maiores tui statuerunt.

Remedia. Prou. 22. Quid à senioribus expectand. Rom. 11. Maiorum statutis sapientium standum.

Decima Tentatio, non multum à præcedenti aliena; Dum enim inceperunt quidam spiritualem vitam, nimis volunt esse discreti quicquid virtutis occurrit, discutiunt, à longe sibi prædicere nituntur mala quæ imminent, & bona quæ negligentur, sicq; miseri non intuentur, quod sub colore discretionis, magna lateat Acedia, &c.

10. Tentatio Discretio indiscreta.

Contra hanc Tentationem & similes, hoc aduertendum, quod caro nostra sit pi- *Remediū.*

gra

gra ad bonum, omnesque facile administret occasiones, euadendi ea quæ sibi aduersantur. Hoc cum sit Diabolo non incognitum, vtitur carne nostra tanquam seruo, vt suggeratur, mediante carne huiusmodi discretio, & interim in socordia & otio perseueretur, & ob hanc causam qui alios ducunt in religionis statum, auertere in principio ad tempus debent, omne genus discretionis, vt sint quasi cœci & ita mortificati: vt omnia faciant ad nutum sui superioris; si autem quis hac tentatione moueatur ad consensum, statim ieiunia, abstinentias, vigilias, corporisq; afflictiones nihili faciet, & pascet Gulam, ignauiam, carnisque furorem, quod Diabolo, qui sub specie virtutis mala suadet bene cognitum est.

Omnia facienda ad nutum superioris.

11. Tentatio: facilitas scandali.

Vndecima tentatio satis frequens est, quę itidem incipientibus solet esse in exercitio. Immittitur ei facilitas scandalizandi maximè in his quæ eorum proposito iam concepto aduersantur. Quando incipiunt oculos ad spiritualia apperire, admiratione rapiuntur, vt si quos vident contra eorum opinionem facere, & non ambulare prout ipsis videtur, perturbantur, & iniquo animo ferunt. Cum hęc tentatio ex duplici causa opinionem habeat: Optimum contra eandem remedium est, remouere causas. Prima causa & occasio eius est ignorantia humanæ fragili-

Remedia. 1.

gilitatis, si enim quis cognitũ haberet, quod qui hodie stat, cras cadere possit, non perturbaretur si proximus non secundum suam mentem ambulet. Secunda causa est, quia ignoratur altitudo diuinorum iudiciorum. Quis scit quid Deus disposuerit de omnibus nobis, fortasse melior in conspectu Dei est, cuius opere & facto tu scandalizaris, quam tu: multi enim quibus non incumbit ex officio vel præcepto, aliorum attendunt opera, & propriam salutem negligunt, quæ magna stultitia est: A talibus non intelligitur doctrina Gregorij: vera sanctitas habet compassionem, falsa vero siue imperfecta, indignatur & irascitur.

2. Causa.

Nota.

Duodecima tentatio. Cum illi qui nouam incipiunt vitam, maxime factis & exemplis sanctorũ ducendi sint (malunt enim homines exempla quam verba) quãdo sanctorum res gestæ referuntur & mirabilia, quæ Deus in sanctis operatus est, proponũtur, maximè quo ad illa quæ illorum prauis desiderijs aduersantur, Monet diabolus vt ea curiosius examinent, in veritate, sicq; vel de rebus gestis dubitent, nullam fidem eis adhibeant, aut contemnant, aut ludibrio exponant, aut viam etiam aperiant ad vitium Blasphemiæ, de quo supra dictum est. Scit enim fallax quod si veritati vitæ sanctorum detrahatur, quod facile accedit contemptus,

12. *Tentatio dubietas circa exempla sanctorum.*

&illud

& illud scripturæ illis conueniat. Nos insensati vitam illorum putabamus insaniam. Qui huiusmodi fluctuat tentatione perpendat qua ratione olim Pharisæi & scribæ vehementer hoc spiritu vexati, calumniabantur facta, opera & miracula Christi, nec illis fidem habebant; hinc & doctrinam acceptare nolebant. Cuius enim vita despicitur, restat vt eius doctrina contemnatur. Ad hæc nos fragiles homines facile inducimur suggestione diaboli, ad reuocandum in dubium gesta præclara sanctorum, quia cum ad ea non peruenire curemus; sed carni & sanguini morem geramus, abundamus nostro sensu, eaque haud fieri posse, quæ caro & sanguis non reuelant, existimamus: Si autem mentem altius attolleremus, & perpenderemus quod Deus mirabilis in sanctis suis, & gloriosus in operibus, haud dubitaremus de excellentibus eorum operibus, sed ad imitationem feruenti animo incēderemur. Contemne mundum, eaque considera quæ diuinæ literæ hac de re tradunt, & non miraberis Apostolos, Martyres, Confessores, & Virgines nihil appetijsse, q̄ mundum saperet, carnem tuam & propriam voluntatē mortificationis gladio trāsfige, & claro oculo videbis, quod qui lapidati, secti, tentati, occisi sunt, in melotis circuierunt, in pellibus caprinis, egentes, angustiati & afflicti, in solitudinibus

Sapient. 5. cap.

Remedia.

Non vocādæ in dubium res gestæ sanctorum.

Ad Hebr. 11.

erran-

errantes in montibus,& ſpeluncis terræ vitã egerunt, quibus dignus non erat mundus, non inſipientes ſed ſapiẽtiſſimi fuerunt, probati teſtimonio fidei ſecundum Apoſtolicã doctrinam ad Hæb.11.

Decimatertia Tentatio, inclinat ad aliud extremum. Diabolus, qui ſemper circuit quærens quæ deuoret. Si generoſos, heroicos, & quaſi ad omnium virtutum actiones natos animos reperiat, inducit eis in memoriam maximorum exempla ſanctorũ, factaque & opera, vt in ieiunijs, abſtinentijs, alijſque virtutum actionibus, quæ tamen in eis adhuc imperfectis improportionatæ ſunt. Simile adfertur à Guielmo Pariſiẽſi in tract. de tentationibus & reſiſt. & poſtmodũ à Dionyſio Carthuſ. De Symearũ captura, quas cum venatores capere volunt, magnos calceos eoſq; ſetulares parant, quos ad imitationem venatorum cum ſimiæ induunt, ſibique alligant, in eis ambulare non valent, & ſic capiuntur à venatoribus. Eodẽ modo diabolus proponit calceamẽta, id eſt, exempla ſanctorum imbecillibus & imperfectis, quæ adhuc ferre non poſſunt, vt dum ea aſſumpſerint, diſcretionis limites trãſeant, naturalia dona corrumpant, ſibi fiant, inutiles & alijs, cũ quibus vitam agũt, intolerabiles.

13. *Tentatio improportionata ſequela.* *1. Petri. 5. cap.* *Simile.*

Circa hanc tentationem bonum remedium eſt, vt Nouitius qui ita Zeloſus eſt *Remedium.*

ad

ad virtutem actiones, nihil in huiusmodi agat sine permissione, & consilio sui magistri, & Patris spiritualis; Is enim si discretus & prudens sit, melius cognoscit vires sui discipuli quam ipsemet, non enim omne desiderium incipientis & proficientis bonum; quare examinandum & non temere admittendum, sed moderandum ab eo qui præest, sic, vt non permittat currentem in foueam cadere, nec etiamsi frœnum nimium restringat, otio & pigritiæ det locum. Laudandus est eorum conatus, sed asserendum, non nimis esse festinandum, sed cum tempore, de die in diem in virtute esse procedendum.

Consilio parentis spiritualis credendum.

Nunc semel pro semper hoc vniuersale ponatur remedium, maximè quoad incipientes & inexpertes; Qui secure in exercitio pietatis vult agere, & feliciter progredi, expertum & discretum in spiritualibus eligat patrem, ad cuius nutum sua disponat, nihil agat eo inconsulto, sic facilè omnes tentationes vincet. Non secus atque peritus nauta in naui, omnibus periculis & fluctibus maris consilium opponit, dum rationem nauis, fluminis, & tempestatis conspicit sicque nauem moderatur vt omnia pericula euitet. Eodem pacto in mari huius mundi dum tempestates tentationum experimur, peritus pater in spiritualibus, intellectis conditionibus, circunstantijsque personæ tentatæ, &

Vniuersale remedium pro inexpertibus.

Discretus in spualibus pater eligendus.

Simile.

tæ,& progressum tentationum, facile potest opponere remedium, animamque dirigere, vt fluctibus non obruatur.

Decimaquarta tentatio: quandoque fallax, Dei misericordiam & benignitatem infinitam, falsis rationibus obtenebrare tentat, obijciendo homini sarcinam suorũ peccatorum, quæ irremissibilia fore, præ multitudine, magnitudine & obscœnitate prætendit, quatenus homo summa tristitia & dolore tortus in baratrum desperationis, amissa spe veniæ, se immergat. Remedium, Inprimis firmetur spes in diuinis promissionibus, quæ falsæ esse non possunt. Sunt enim multæ huiusmodi in sacris literis, quibus Deus peccatores vocat & consolatur. Ezech. 18. & 33. Nolo mortẽ peccatoris sed magis vt conuertatur, &c. Si autẽ dixero impio morte morieris, &c. non imputabuntur ei. Deus promittit nobis remissionem peccatorum, si egerimus pœnitentiam. Mendax igitur spiritus quocunque colore asserere nititur & tentat, non remittenda nobis peccata. 14. *Tentatio nitens obtenebrare Dei misericordiam.* 1. *Remedia.*

Secundo, Opponenda hosti mors & passio Domini nostri Iesu Christi. Nam pro magna consolatione peccatoris verba illa 1. Ioan. 1. Et sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato, si cõfiteamur peccata nostra, & ipse est propitiatio non solum pro peccatis nostris, sed & totius mundi. 2. *1. Ioan. 2. cap.*

Alibi ſcriptum eſt; confugiat ergo ad crucis miſterium, ſi Diabolus deſperationis adducat motum.

15. *Tentatio præcedenti ex Diametro contraria.* Decimaquinta tentatio. Si hac arte impoſtor repugnantem animam nequit proſternere, illico diuinam miſericordiam, benignitatem & pietatem ita extollit, ac ſi nec iudicare peccatum, aut peccatorem damnare vllo modo vellet, vt ſic animam in diſſolutionem & peccati audaciam alliciat, & tandem anima timore; qui innocentiæ cuſtos eſt; vacua, ſine vllo mẽtis pudore in vitia ruat. Scriptum eſt enim Eccl. 27. Niſi in timore Domini tenueris te inſtanter, cito ſubuertetur domus tua. *Remedia.* Remedia contra hanc tentationem habentur in illis, quæ ſupra dicta ſunt de tentationibus ante conuerſionem, vbi declaratũ, quo modo multi puniti ſtante miſericordia & diuina bonitate, hoc tamen hic obſeruandum, vt quando peccator agit pœnitentiam, & pro ſuis peccatis triſtitia afficitur, vt tunc exaltetur miſericordia Dei, ne ſi iuſtitia oſtendatur ad deſperationem tendat, ſi autem durioris ſit cordis, & durius ad dolorem ac contritionem perducatur, proponantur ea quæ oſtẽdunt Dei iram in peccatores. Quod itidem fiet quoties agendum de cauſa fugiendi peccatum in futurum.

CA-

CAPVT. VII.

De Tentationibus quæ solent contingere in materia consolationum & desolationum.

DEcimasexta, Immittit quandoque Angelus Sathanæ; Deo permittente, menti serui Dei tantam obdurationem & cordis ariditatẽ, vt cœlum ipsi esse æneum, & omnipotentis aures ad exaudiendũ obduratæ videantur, adeo vt tanto tædio afficiatur, vt Monasterium carcer, atq; omnia deuotionis exercitia, veluti ingentem cruciatum abhorreat, atq; sic anima tristitia, dodore, tepeditate & Acedia male agitata, de sua perseuerantia trepidet, & de propria salute diffidat. Hæc tentatio magnam tempestatem annexam habet, & quia contrariorũ est eadem disciplina, antequam de hac agatur, oportet ex opposito alia subiungere, sit ergo. 16. *Ariditas magna.* *Magna tẽpestas huius tentationis.*

Decimaseptima, ex alia parte. Callidissimus serpens, qui omnes in partes virus suũ diffundit, aliquando Deo permittente falsa fictæ cõsolationis dulcedine animã lactat, & etiam vim lachrymarũ excutit, idq; partim, vt mentem ad elationẽ, aliorumq; contemptum impellat, partim vt corporis valetudinem nimia exercitatione lædat, ac tan- 17. *Tentatio fictæ consolationis dulcedo.*

dem hominem ad pietatis ſtudia ineptum reddat. Ad pleniorem intelligentiam adiungitur & ſequens tentatio.

18. *Deſideriũ fruendi conſolationibus.* Decimaoctaua. Quibuſdam incitatur nimis magnum deſiderium fruendi conſolationibus ſpiritualibus, quibus ſi ad Dei beneplacitum deſtituantur, afficiuntur triſtitia, & fiunt puſillanimes, maximè ſi id contingat dum orationi aut meditationi inſiſtunt, exiſtimantes Deum ipſis offenſum, ex quo hilarem lætamque faciem quam ſolebat oſtendere, auertit, ſi autem fruantur dulcedine conſolationum, alijs ſe præferũt menſuram ſanctitatis mentientes, iuxta copiam & inopiam conſolationũ. Et hæc tentatio multis & magnis eſt expoſita malis, vt docet S. Anthon. 4. part. Tom. vltimo. cap. 11. §. 8. & 9. ex quodam libello B. Vincentij ordinis prædicatorum. Alij quoque quandoque ſi priuantur diuinis conſolationibus, ſe dedunt conſolationibus terrenis, & fodiunt ſibi ciſternas, quæ non valent continere aquam.

Ad harum tentationum intelligentiam multa ſunt annotanda documenta, quæ mirum in modum faciunt ad illuſtrationem animæ in via ſpirituali. *1. Document. quid intelligatur nomine conſolationis.* Primum Documentum; quid nomine conſolationis & deſolationis intelligatur in exercitijs ſpiritualibus. Nomine ſpiritualis conſolationis, intelligimus

mus

mus omnem animi motum, per quem interius anima inceditur in amorem creatoris, nec quid in creatura quærit, nisi propter Deum. Item lumen intelligentiæ quo homo cœlestia clarius intuetur, & quæ sunt spiritus Dei perfectius cognoscit. Item omnem lætitiam, quæ animam ad cœlestium rerum meditationem, ad studium salutis, ad quietem & pacem cum Deo in corde habẽdam incitat. Item omne desiderium Deo fruendi, mundum contemnendi, carnem mortificandi. Ad hæc lacrymas animæ, quæ in amore Dei funduntur, siue ex dolore de peccatis, siue ex passionis Christi consideratione, siue ex alia causa ad honorem Dei rectè ordinata, originem ducant. Spiritualis autem desolatio è contra vocatur, quæuis animæ excecatio, perturbatio, instigatio ad res terrenas,&infimas,omnis animę inquietudo, anxietas, tristitia diffidentia, timor inordinatus, omnis tentatio Dæmonis,carnis & mundi, quæ trahit in diffidentiam salutis, spem ac charitatem expellit, vnde anima se tristari,vrgeri, & tepescere,& angi sentit,& parum in Deum confidit. Cum talis positio sit inter actus qualis inter principia & causas eorundem: Sicut consolatio opponitur desolationi,ita etiam cogitationes,quę ab vtraque procedunt opponuntur. Hinc consequenter procedendum est, sicuti conso-

Quid de consolationis nomine.

ſolationes propriæ ſunt à Deo, ſic deſolationes à Spiritu maligno. Obſeruat enim callidè inimicus, vt illis, qui ſe à vitijs purgant, & proficiunt in via ſalutis, moleſtias, ſcrupulos, tentationes, triſtitiam, perturbationes, ſimileſq; deſolationis motus, quibus tranquillitatem conſcientiæ tollat, & ſpiritualem profectum impediat, immittat. Spiritus Sanctus autẽ è contrario rectè agentibus, & proficientibus, animũ & vires addit ad profectum, conſolatur, mentẽ illuſtrat, ſanctis deſiderijs ad amorem, & odium mundi accendit, tranquillitatem & pacem cordis fouet, omniaq; obſtacula remouet, quæ impediunt quo minus ad altiorem virtutum gradum anima tẽdat.

Diabolus purgantibus se à vitijs immittit scrupulos, &c. E contrario facit S. Spiritus.

2\. Secundum Documentum de cauſis deſolationis. Quare Deus ſubtrahat ſuam conſolationem animæ? prima cauſa eſt. Propter noſtram in ſpiritualibus ſtudijs & exercitijs tepeditatem, & negligẽtiam, Deus aliquando nos conſolatione priuat.

2. Docum. Causa 1. desolationis.

2\. Secunda. Ad conſeruandam in nobis humilitatẽ, vt ſic intelligamus non eſſe in poteſtate noſtra, habere cõſolationes pro noſtra voluntate, ſed eſſe Dei eas dare, quando & cui vult. Spiritus enim vbi vult ſpirat. Ea de cauſa etiam aliquando, quando quærimus conſolationes denegantur nobis, quando minime laboramus conferuntur, vt intelligamus mera eſſe diuinæ munera gratiæ. Si

Ioan. 3.

autem

autem nostræ industriæ asscribamus, vanæ gloriæ & superbiæ crimen, cũ magno periculo incurrimus. Tertia. Vt probemus quinam simus, an socij tantũ mensæ & consolationum, an veri amici Dei in tribulatione & cruce. Scriptum est enim, Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustia cõprobatur. Si enim Deo propter consolationes & delectationes inseruimus, non ex vero sed seruili amore adhæremus ei, quod satis repræhensibile est. Quarta causa; vt pluris consolationum gratiam faciamus, vilescunt enim illa frequenter, quæ semper haberi & in promptu inueniri possunt, sicut constat de filijs Israel cum manna cœlesti: Nauseat anima nostra super cibo ista leuissimo, &c.

3. Prouerb. 17. Non ob delectationes ad hærendum Deo. 4. Num 21.

Quinta, vt homo etiam quando in desolationibus est, inquirat diligenter, qua ex causa id sibi contigerit, quod calorem illum suauissimũ perdiderit, ac aduersus illam omne bellũ ac studiũ summis viribus resumat, neq; enim poterit per aliam portã illum reuocare, nisi per quam egressus, vt ait Clymachus. Sexta esse potest, vt dũ homo consolatione fruitur, cautius ambulet, & cũ humilitate custodiat, iugiterq; illi æterni fonti assideat, vnde tam dulcis aqua emanat. Abscondit aliquando infantis mater seipsam, quẽ si videt anxius inquirere, gaudio afficitur, sicque illũ instruit, sibi adhærere iugiter, affe-

5. 6. Simile.

ctumque sui altius infanti imprimit, eumque ad se amandum ardentius inuitat, aliæ huius rei causæ adhuc reddi possunt, sed hæc sufficiant.

3. Documentum. Tertium Documentum ex libro de Imitatione Christi. Quando consolatione & spiritu feruoris frueris, mediteris quid futurum sit abscedente lumine, & sic præpara animam spe, fiducia, & robore ad sustinendum impetum tentationis, quod psalmista se fecisse testatur. Ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum. *Psal. 29.*

4. Documentum. Quartum Documentum. Qui consolatione affluit, seipsum deprimat, cum humilitate reputando secum, quam imbecillus, & ad omne bonum ineptus erit desolatione impugnante, nisi per diuinæ gratiæ opem cito subleuetur. *Si desolatio molestat. Quid?* Contra si desolatio molestat, non statim desperet, animumque abijciat, sed confidat cum gratia Dei, se facile omnes aduersarios deuicturum, & cum humilitate & patientia, expectet cœlestem visitationem. Quia sequentis consolationis, solet præcedens tentatio esse signum, vt dicitur lib. 2. de Imitatione Christi cap. 9. Nam tentationibus probatis, cœlstis promittitur cõsolatio Apoca. 2. Qui vicerit dabo ei edere de ligno vitæ.

5. Docum. Quintum Documentum. Quoniam tempore desolationis, homo vexatur à spiritu tentationis, & conturbatur, nihil est deliberan- *In desola-*

berandum circa animi propositum, & vitæ statum, sed in eis est perseuerandum quę prius fuerunt constituta, quando anima sua pace fruebatur.

tionibus nihil immutandũ in vitæ statu.

Sextum Documentum, vt bene docet Chrysost. ho :28. in opere imperfecto, sicut qui iugũ suscipiunt Christi, Christus eos delectat in spiritu, ne fatigentur in bonis operibus: Sic & qui iugum suscipiunt diaboli, diabolus eos delectat & decipit, ne discedant à malo impij, vsque ad mortem suam; Qua de causa hac similitudine præhabita per discursum procedamus. Diabolus, Deo permittente consolationes, gustus, & sentimẽta, vt quidam vocant, immittit, quibus nutriti animi rapiãtur in elationem, vel superbiam, se sanctos existimantes & alios contemnentes, sic enim magno exponuntur periculo illi, quia adhuc non habent exercitatos sensus, ad discretionẽ boni & mali. Quomodo autem diabolus hoc faciat, nunc declarandum est. Inprimis, Etsi solus Deus spiritui illabi possit, & in solam animam immediatè agere, tamen Deo permittente, spiritus siue bonus, siue malus, potest in corporibus operationem exercere, & etiam in potẽtijs quæ per organa corporis suos actus impediunt. In sensitiuis quidem immediatè, in intellectualibus, mediantibus his. Ex hac radice possunt Dæmones, sensibus nostris

6. Documentum. Simile.

Diabolus Deo permittente consolationes immittit & quare?

Quomodo Diabolus consolationes immittat.

 illu-

dere, delectabilibus appetitũ allicere, & tentationes inducere, quod satis superq; experientia docet. Ex hoc itidẽ fundamento, inimicus quandoq; fouet inferiorẽ portionem animæ, tranquillata & sophistica consolatione, ac dulcedine, siue sentimento, & cum sit magna coniunctio inter partẽ animæ superiorem, & inferiorẽ, sicuti quandoq; gaudiũ in superioribus animæ potentijs, intellectu & voluntate à Deo productũ, maxime si sit abundans, se diffundit ad corpus, iuxta illud:
Psal. 83. Cor meũ & caro mea exultauerunt in Deum viuũ. In cuius rei argumentũ sæpe sanctorũ virorum corpora, dũ contemplationis virtute in cœlũ raperentur, etiam à terra cum mente ipsa eleuabantur. Quod de sancto Antoni. Anacho. S. Dominico, S. Thoma Aqui. alijsque sanctis proditum est. Sic quoque quando est delectatio vehemens in corpore, & potentijs organicis, redundat in superiores vires, vt quasi totus homo, sentimẽta dulcedinis perfruatur. Qua ratione contingit, quod homo quandoque decipitur non aliud credens, nisi huiusmodi dulcedinem esse consolationem à Deo infusam, cũ tamen deceptor procurauerit, vt hominem in superbiæ laqueos inijciat, vel saltem nonnunquam per indiscretionẽ, & abusum fallacis illius consolationis, in insaniam, aliaq;
7. Docum. mala impellat. Septimum Documentum; vt peritus

peritus & ſapiens Trapezita, verum aurũ ab adulterino decernit, vt hoc acceptet, illud vero reprobet, nos veras cõſolationes & ſpirituales guſtus à ſophiſticis diiudicemus, quod ad donum Spiritus S. ſcientiæ, ſecundũ Anthoninum 4.part.lib.6.c.vnico §.8. & 9.ſpectat, aliqua ſunt notanda. Primũ, proprium eſt Dei, vel Angeli boni, verã infundere ſpiritualẽ animæ lætitiã, ſublata triſtitia, & perturbatione, quã Dęmon ingeſſit, Deus enim poteſt illabi immediate in animam noſtram. Angelus autẽ bonus, veris & ſalubribus inſtructionibus, & charitate, ea via qua Diabolus falſis rationibus, & conſolationibus. Cũ autẽ ſpiritus malus inimic⁹ ſit Dei, & humanæ ſalutis, coloratis argumentis, & perſuaſionibus veri ſpeciem præſeferentibus, lætitiam in anima repertam expellere molitur. Cum autẽ ſolus Deus immediatè agat in animam, & ſpiritũ, ipſe ſolus poteſt efficere in anima conſolationẽ, nulla pręcedente conſolationis cauſa, aut medio interueniẽte. Cauſa autem tunc præcedere dicitur, quando aliquid ſenſibus obijcitur, aut ſuperioribus animæ viribus, quod mouere poteſt ad conſolationẽ, vel ſentimentum. Quando autem per medium venit conſolatio, vel eius cauſa præceſſit, author eſſe poteſt tam ſpiritus malus, quã bonus, vt patet ex dictis in ſexto documento. Quare bene Regulã ad diſcernendas

1.

Solus Deus immediate agit in animã.

Remediũ ad diſcernendas lachrymas.

2.

das lachrymas annotat Ioannes Clymachus de luctu cap. 7. Quoties anima, inquit, nihil etiam curantibus, vel studiose operantibus nobis, in lacrymas in secreto conpunctionis excitata, in solo fletu requieuerit, curramus sollicitè, dominus enim non vocatus aduenit, spongiamque diuini mæroris & refrigerij, piarumque lachrymarum aquas nobis clemens porrigit, quibus diluantur scelera Chyrographi nostri, serua illam vt pupillam oculi tui, donec sponte abeat, longe enim maior est huiusmodi conpunctionis vis, quã eius quam studio & labore nostro quæsiuimus. Hæc ille. Quando ergo nihil laboramus cogitando, aut contemplando, ex tunc fiat aura suauis Spiritus Sancti, nulla præcessit eam, sed solus Deus animam suæ creaturæ ingreditur. Et hoc etiam non prætereundum, quod cum lachrymæ etiam aliquando ex causa, sicut reliquæ consolationes prouenire queant, quod & inimicus, quandoque ciere poterit. Deinde etsi quando consolationis causa datur, vterque spiritus possit esse author & malus & bonus, tendunt tamen ad diuersos fines. Bonus id intẽdit, vt anima in bona cogitatione, & operatione magis proficiat, malus autem vt malè agat, & miserè pereat.

2. Notand. Secundo. Quando consolatio sine vlla præuia causa, nobis adest, quamuis iuxta dicta

ĉta à Deo immiſſa ſit, nihilque fallaciæ ſubſit, tamen cum vigilantia & diſcretione diſtinguendum, præſens conſolationis tempus, à proximo ſequenti. Nam & ſi principium conſolationis tunc fuerit à Deo, continuationis tamẽ in conſolatione, aliqua poterit eſſe cauſa, vel habitus ex pręcedenti cõſolatione relictus, vel diſcurſus mentis, vel immiſſio Angeli boni & mali, ea de cauſa ſi quid ſentiamus, deliberemus, ſolerti enim indiget diſcuſſione, priuſquam detur conſenſus, vel mittatur in opus.

Tertio Ad diſcernendum Angelum bonum à malo hæc notetur regula. Angelus bonus in principio, præſertim in viſionibus de quibus poſtea latius; terret ſuo fulgore, & pauidam reddit animam, Initium enim ſapientiæ timor domini, in medio vero conſolatur & confortat bono ſermone & inſpiratione. In fine verò animã lætitia perfundit ex immiſſa conſolatione, vt patet ex apparitione Angeli ad paſtores in Natiuitate Chriſti, & ad mulieres, & Petrum ad monumentum Matt. 28. Lucæ. 24. Terrent & timorem incutiunt inprimis: ſed ſtatim dicit ſpiritus bonus nolite timere, & gaudium annuncio vobis. Malus autem è contrario, initio terret ſua terribili voce, in medio decipit fallaci promiſſione, in fine triſtitia afficit ſubſecuta deceptione. Hæc Regula etſi in viſibilibus viſi-

3. Notand. Regula diſcernendi Angelũ bonum à malo. Eccl. 1. ca.

visitationibus maxime locum habeat, tamẽ etiam inseruit ad discretionem motuum internorum.

4. *Notand.* *Alia Regula 2.* Quarto. Ad eundem effectum alia sit Regula desumpta ex eis, quæ refert Antoninus 4.p.lib. 6. cap. vnico, §. 8. & 9. ex lib. B. Vincentij. Si per sentimentum, delectationem, aut gustum, aut alium modum, cor tuum mouetur, ad aliquod opus, maxime graue faciendum, tibi nõ consuetum, de quo non habes certitudinẽ, an Deo placeat, sed cum ratione dubitas, cõtrahe moram antequam perficias tale opus donec diligenter inspicias omnes circumstãtias, & cognoscas Deo placere. Vnde Origines. Læta virtus cunctatrix ante iudicat quam incipiat quid decorum, quid honestũ sit, iniquitas autẽ omnia pręcipitat. Non autẽ iudices secundum tuam opinionẽ, cum de se non est clarũ, sed secundũ testimoniũ scripturæ, vel aliquod exemplar imitabile sanctorũ. (Dicitur imitabile) quia

Exempla quædã admiranda non imitãda. sancti aliqua fecerunt, quæ imitari non debemus, quamuis in eis fuerint bona, sed ea habere in admiratione, & reuerentia. Nam vt est Regula Iuris. Quę à iure communi exorbitant, in consequentiam nostræ actionis, non sunt habenda.

5. *Notand.* *Alia Regula, 3.* Quinto. Alia Regula ex Gersone, tractatu de remedijs; contra pusillanimitatẽ scrupulosorum, & deceptorias inimici consolationes.

nes: Omnia ad quæ voluntas cum quodam impetu,& vehementia,sine præuia deliberatione inclinatur, quantumcunq; appareant bona,habeantur suspecta,quia communiter sunt motus sensualitatis & passionũ, quibus se hostis antiquus persæpe immiscet, & proinde diligẽter huiusmodi sunt examinanda, ne in herba lateat anguis. Sexto, Alia Regula sumi potest ex collationibus Patrũ,coll. 1.ca. 21. Si quid agendum cogitatio nostra suggerit, omni scrupulo retractandum est, & æqua libratione iustissime perpendendum, an plenum sit honestate communi,an timore Dei sit graue, si integrum sensu, si humana sustentatione, aut aliqua nouitatis, insolentiæque præsumptione non leue, si meriti eius pondus,inanis Cenodoxiæ, id est, vanæ gloriæ non imminuerit, vel arriserit gloria, & sic protinus & itidem quod suggestum ad publica examina,id est, Prophetarum actus, & testimonia conferendum,illorumque exemplis comprobandum, vt si integrum & perfectum sit,ad hanc libram appensum suscipiatur. Si vero imperfectum atque falsum, nec ponderi prædicto cõsonum, omni conditione deuitetur.

Deliberatio habenda in actionibus.

6. *Notand. Regula.* 4.

Septimo. Alia Regula ex Machario Hom. 7. Cũ iniquitas ait, transfiguretur in Angelũ lucis, & gratiæ similis sit, qui perspiciet homo semitas diaboli? & quo pacto ãplectetur

7. *Notand. Regula.* 4.

&

& diſcernet ſemitas gratiæ? quia quæ procedunt à gratia, lætitia prædita ſunt, pace, charitate, ac veritate. Ipſa autem veritas compellit hominem indagare veritatem, quę autem proficiſcũtur ab iniquitate, turbatione plena ſunt, nec habent delectationem, aut gaudium erga Deum, quemadmodum intybus lactucæ ſimilis eſt, hæc tamen dulcis, illa amara, licet inter ſe habeant ſimilitudinem.

Octauo notand. Octauo, Vt moris eſt ſpiritui maligno, vt in lucis Angelum ſe transfigurans, cognitis pijs animæ deſiderijs, primum obſecundet, ne eius fraus depræhendatur; mox deinde tortuoſus ſerpens, in aliam partem ſe vertit, & ad peruerſa deſideria inſtigat, vt decipiat, ſimulat ab initio bona, vt ad extremum paulatim in laqueum ducat, vbi opportunitatẽ meliorem aduertit. Imitatur enim cautiſſimos, fallaciſſimoſque latrones, qui quando norunt diuites mercatores, vel ignotos homines, quibus eſt æs in Marſupio, quibus via incognita, conferunt ſe ad vias publicas, & ſimulant ſe eandem viam iter facturos, atq; congrediuntur bonam prætendentes ſocietatem. *Simile.* At quando ad loca periculoſa abſtruſa, viatoribus incognita, vel ob ſitũ loci periculoſa pueneriut, eos adoriũtur, atq; ſpoliãt, niſi alij fugiãt aut vincãt. Sic Dæmon in initio quidem bonos prætendit animæ motus, & eos proſequitur excitatos, ac in progreſſu peri-

periculorum quærit locum, vbi deijciat & ſpoliet bonis, ſi quis igitur in huiuſmodi cõflictu, aut effugiat aut vincat, aut etiam ſauciatus, & ſpoliatus euadat perſequentis hoſtis malitiam, ita vt in tentatione, exitus, id eſt, finis malus quem proponit, dephræhendatur, plurimum iuuat ad ſumendam cogitationem experimentalem de fraudibus, vt deinde facilius euitentur, ab initio reuoluere totum curſum tentationis, & quomodo præcedentem ſpiritualis guſtus ſuauitatem ſenſim amouere, & venenum ſuum infundere tentauerit.

Nono. Eorum qui promouentur ad bonum ſalutis, animo vterque ſpiritus inſinuat ſe, ſed diuerſo modo, Bonus leniter, placidè, & ſuauiter, ſicut aquæ ſtilla in ſpongiam illabens. Malus autem duriter, implacide & vehementer cum ſtrepitu, ſicut imber decidens in Petram. Illis autem qui indies deficiunt, & in deterius tendunt, oppoſitum prorſus vſu venit. Huius diuerſitatis ratio eſt, ſimilitudo & diſſimilitudo ſiue contrarietas. Contraria enim cum difficultate inuicem agunt, & inter ea quæ pluribus qualitatibus inuicem conueniunt, facilior eſt actio; cum minori reſiſtentia ignis accendit lignum ſiccum, & cum maiori pugna humidum. Nunc ad propoſitum. Si enim alteruter ſpiritus animam in diſpoſi- 9. *Notand. Quomodo ſe inſinuet bonus & quomodo malus.*

G tione

tione sibi contraria, seu dissimili reperit, cum strepitu & resistentia se coniungit, vt facile aduerti queat: si conformem & obsequẽtem, tanquam propriam & aptam domum subit cũ quiete. Quãdo ergo aliquis in bono proficit, bonus Spiritus eum leniter mouet, quia sibi similis est dispositio. Malus autem cum vehementia irruit, quia sibi in nulla respondet qualitate, sed per õnia repugnat. At e diuerso quãdo anima tendit ad interitum, malus tũc paulatim & leniter procedit, quia suas sequitur anima vias, nec patitur resistẽtiam. Bonus vero tunc irruit cum strepitu & vehemẽtia vt cursum interrumpat, atq; iterũ ad bonũ vocet.

8. Docum. *Perfectio non metienda à spirituali gustu.* Octauum Docum. Cum perfectio vitæ Christianæ nõ consistat in consolationibus, ex spirituali gustu, vel sentimẽto; malè iudicant qui signum dilectionis Dei, & quantitatẽ perfectionis, in spirituali via hinc metiuntur. Atq; hoc maxime patet ex grauissimis huius vitæ perturbationibus, & tribulationibus, aduersitatibusq; quib. dilectissimi Dei amici semper affecti sunt; *Acto. 14.* Atq; eius testimoniũ est, ꝑ multas tribulationes oportet nos introire in regnũ cœlorũ. *Apocalyp. 3.* Et iterum: Quos amo, arguo & castigo. Ideo benè dicitur à quodã deuoto; libello 2. de Imitatione Christi c. 11. *Nota quomodo non quiescend. in consolationibus.* Nõ est graue humanũ contemnere solatiũ cum adest Diuinum; magnum est & valde magnũ tam humano, quam diuino ca-

no carere posse solatio, & p̄ Dei honore libenter exiliū cordis velle sustinere, & in nullo seipsum quærere, & infelices sunt, q̄ se exercent in timore, & humilitate, & orationis studio, vt consolationes & sentimēta percipiant à Deo, q̄a ex amore mercenario, & non filiali Deo inseruiunt, & multis sunt expositi periculis, & insidijs Dæmonis, ad hæc raro proficiunt in spiritu, nisi alio modo iuuētur, quia cū sola cōsolatione ducantur, q̄ instabilis est, aduenit & abscedit, crescit & decrescit, sicut luna, necesse est eorū statum periclitari, vnde rite cōparari queunt illi semini Euāgelico, q̄ supra petram cecidit, & quamdiu habebat humorē creuit, adueniente autem æstate natū aruit, quia non habebat humorem. Hinc inferimus q̄ homo quātumcunque fruatur consolationibus, non debet se sanctiorē alijs reputare, nec hinc suā perfectionem metiri: Atq; vt hoc clarius innotescat, attendendū, q̄ huiusmodi cōsolationes, & sentimenta ex tribus possunt procedere. Aliquando à Spiritu Sancto, & Deo, vt supradictum est, & quare pascat Deus huiusmodi dulcedine in hoc seculo, infra aperietur. Aliquando vero à nobilitate studij & obiectorū q̄ contemplamur, & consideramus. Sic Philosophi in cōsideratione rerum creatarum, atque intelligentiarum, delectationem capiebant, vnaquæque persona de-

Nota B.

Sanctitas non metienda à cōsolationibus. Consola. ex tribus possunt esse.

lectatur in consecutione & fruitione sui obiecti, & quo nobilior est materia, siue obiectum cui adhæret per cognitionem, & apprehensionem, tanto nobilior delectatio. Actio enim sumit nobilitatem ab obiecto, delectatio consequitur actionem. Eodem modo qui considerat, & opera, & mirabilia Dei, tam naturæ quam gratiæ, ac doctrinæ, non potest non capere aliquam delctationē, cum sit nobilissimus actus. Hæ autem considerationes possunt esse meræ naturales, & consequenter etiam delectationes. Quandoque istæ consolationes (vt supra est traditum) procedunt opera dæmonis, qui hac via hominem ad opinionem suæ sanctitatis vult allicere, & vano tumore afflare, vt se meliorem alijs iudicet, & non submittat se alterius iudicio, & sic præesse quā subesse velit. Nunc si huiusmodi consolationes veniant à Deo & Spiritu sancto, non est occasio exaltationis, sed humilitatis, & timoris, non singularitatis; si procedant à causa & consideratione naturali, sunt meræ naturales, sicut eas etiam sine dubio habuerunt Philosophi gētiles, & non possunt esse mensuræ diuinę delectationis aut sanctitatis. Si vero à spiritu maligno procedunt, tentationes sunt, & non sanctitatis signa: Dices: Quæ ergo signa perfectionis & vnde mēsura sanctitatis sumenda, si non à fruitione cōsolationum, vt nunc signi-

Consolationes sunt causæ humilitatis.

Vnde mensura sanctitatis sumenda.

ſignificatum eſt? Hoc ſi ſcire deſideras, conſidera quantum proficias in humilitate, tam interiori quam exteriori, quomodo proximum propter Deum diligas, iniurias, tribulationes, & aduerſitates feras. Quomodo Deum in omnibus actionibus tuis, pure, ac ſimpliciter quæras, qua ratione linguam, cor ſenſus, carnem cum omnibus prauis deſiderijs, & concupiſcẽtijs freno cohibeas, & præcipue an in te mortuus proprius amor, & appetitus bonorum, delitiarum, & omnium vanitatum mundi, & pompæ eius. Ex his iudicium faciendum eſt de perfectione, & non ex quantitate conſolationum.

Quare Deus conſolationibus & dulcedine ſpirituali, ſuos in hac vita frequenter ducat?

ETſi dictum in conſolationibus nõ conſiſtere ſanctitatem perfectionis, non tamen ea de cauſa parui faciendæ ſunt huiuſmodi conſolationes, quæ enim hactenus dicta ſunt, tradita ſunt ad piam conſolationẽ timidorum & ſimplicium, & non ad ruinam negligentium, vt hinc accipiant occaſionem diuina dimittendi exercitia, quibus anima fouetur, & in feruore continetur. Adferendæ ergo nunc ſunt cauſæ, quare conſolatione afficiantur virtutum ſtudioſi. Prima cauſa. Quia multæ ſunt & fuerunt ſemper tri-

Non parui faciendæ conſolationes.

Cauſæ quare conſolationibus afficiantur virtuoſi.

Pſal 33.

1. *Cauſæ.*

bulationes iuſtorũ,& ex omnib. lib.erauit eos dominus,vt paſſim ſcripturis,& hiſtorijs ſanctorum manifeſtũ eſt,atq; ex quotidiana experientia conſtat; Ne igitur tribulationum malo preſſi,deficerent, ac animũ abijcerent, ſpiritualibus conſolationibus fouet,quod & Dauid de ſeipſo teſtatur Pſalm. 93. Secundũ multitudinem dolorum meorum, conſolationes tuæ, latificarunt animam meam.
2. Secunda, Spirituale hoc gaudiũ, quod eſt participatio quædam cœleſtis beatitudinis & felicitatis, eleuat mentem ab hiſce terrenis,ad cœleſtia, vnde bene S. Grego. ſuper Ezechi. Dulce eſt eſſe in rebus humanis, ſed ei qui adhuc de cœleſtibus gaudijs nulla guſtauit, quia quãto minus æterna intelligit, tanto delectabilius in temporalibus quieſcit.
3. Tertia cauſa. Quoniam actiones ſpirituales & pietatis exercitia, vt plurimum tales conſolationes conſequuntur,mouent homines, & adiumentum præſtant, vt homo huiuſmodi opera aggrediatur. Vere enim dictum eſt ab Ethnico: Trahit ſua quemque voluptas. Lactat ergo huiuſmodi dulcedine Deus nos,vt ad ipſum veniamus. Vnde ſicut voluptas turpis, omnium malorum eſca dicitur, ſic diuina dulcedo, cunctorum bonorum ſpiritualium incitamentum dici poteſt. Philoſophorum quoque eſt dogma, quod motus tanto eſt velocior, quanto magis accedit ad

Diuina dulcedo bonorum ſpiritualiũ incitamentum.

ad locum naturalem, quia inest vis quædam quæ attrahit & seruat locatum, sic & anima hominis quę ad videndum Deum, & ad fruendum eodem creata est, quando gustat, & gustando per abundãtem quasi fidem videt quam suauis est Deus, appetitus currit per viam mandatorum Dei. Psal. 118. Vnde bene ait Dauid. Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum. Quarta ea est humani animi natura, vt sine delectatione esse non valeat, ne igitur impuris detineretur voluptatibus, Deus eum voluit spiritualibus delectare delicijs. Quisquis ergo cœlestibus delicijs vult frui, procul à se carnales consolatiunculas pellat. Ex his ergo constat non esse contemnendas diuinas cõsolationes, sed esse laborãdum vt eas habeamus, non vt in ijs quiescamus, & nihil aliud quæramus sed vt sint nobis adiumento ad perficiendam Dei voluntatem, & ad quærendam Dei gloriam & honorem, sic Dauid cupiebat quando dicebat. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Si igitur consolatione fruimur, humiliemus nos & timeamus: Si autem ea priuemur ne nimis animum abijciamus, & speremus in Deo, & ipse enutriet nos, ac interim præparemus animam in aduentum Dei.

4. Animus humanus sine delectatione esse non valet.

Pellendæ carnales consolatiunculæ.

Psal. 62.

Humiliari oportet in consolationibus.

De remedijs quibus homo debet vti quando est in desolationibus.

Remedia pro desolatis. PEtendum est à Deo instanter, vt radijs suæ claritatis nos illuminet; sicut enim in hoc mundo luce absente, vix etiam cũ summa molestia aliquid boni operis efficere possumus, sic cum magna difficultate aliquid recte à nobis fit, quando sol ille iustitiæ claritatem suam subtrahit, & sicut hæc inferiora detrimentum patiuntur, quando est deliquium solis, & breui tempore, sic & anima detrimentum patitur, in absentia solis iustitiæ. Hoc remedium exemplo psalmistæ edocti sumus. Præsente consolatione dicebat: Ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum: Absente autem eadem, effectum desolationis ostendit dicens. Auertisti faciem tuam à me & factus sum conturbatus: Interim tamen nõ est pusillanimis, sed instantius orat, & remedium sumit, & ait: Ad te domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor. Deinde se auditum testatur, Audiuit Dominus & misertus est mei, subdit in quo: Conuertisti (inquit) planctum meũ in gaudium mihi, &c. & circumdedisti me lætitia: Ecce iterum effectum consolationis. Secundum. Excusso omni tepore, homo debet sola pietatis exercitia continuare, imo etiam aliquid addere, donec inueniat quem perdidit. Tertium. Optimum remedium est, patien-

1. *Simile.* *Psal. 29.* *Psal. 27.* *Psal. 29.* 2. 3.

tientia, quæ tentationibus huiusmodi opponitur, & exercenda est spes, & cogitandum breui ad futuram consolationem, quia potens est Deus, ampliorem dare gratiam & consolationem, maximè si homo per sancta exercitia: de quibus iam dicendum, conetur frangere impetus desolationis. Quartum. 4.
Cum humilitate debet assumere pia opera, quę contra desolationis impulsum tendunt. Qualia sunt, Oratio, meditatio, discussio cõscientiæ, sacramentorum frequentatio, pœnitentiæ opera, quia facile fit, vt nos in culpa priuationis diuinæ consolationis fuerimus.
Quintum. Lectio sacræ scripturę, secundum 5.
D. Paulum Rom. 5. Quæcunque scripta sunt ad nostram consolationem scripta sunt. Sextum. 6.
Contra hostem & desolationes atque tentationes, mirum in modum iuuat constantia & magnanimitas in repugnando. Hostis enim noster naturam & morem refert peruicacis mulieris, hęc si cum viro rixatur, *Simile.* eumque videat erecto & constanti vultu sibi resistere, illico abijcit animum, & terga vertit, si vero timidum & fugacem esse animaduertit, in extremam surgit audaciam, & illum ferociter inuadit. Dæmon item consueuit animo & robore destitui, quoties spiritualem athletam, corde imperterrito ac fronte serena, tentationibus suis videt reluctari. Si autem trepidet ad primos impetus

ſuſtinendos ac animũ abijciat, nulla eſt beſtia ſuper terram inimico illo ferocior in hominem, vt cũ pernitie noſtra, malignę, obſtinatæq́; mentis ſuæ deſiderium adimpleat.

19. *Tentatio. Deſideria viſionum.* Decimanona tentatio. Quę magnam habet affinitatem cũ præcedenti. Suggerit diabolus & inſtigat, ad deſiderandum viſiones, apparitiones Chriſti, vel B. Virginis, vel ſanctorum Angelorum, ac etiam ſecretorũ Dei reuelationes,. & ſimilium. De hac materia tractat Gerſon 1. partim tract. de probatione ſpirituum. Diſcernere viſiones & reuelationes veras à falſis, pertinet ad donum diſcretionis ſpirituum. Secundum prædictum ergo Doctorem, pauca ſunt dicenda, quia Regulas generales ſuper hac re certas aſſignare, non eſt, niſi eius, qui omnia nouit. Cũ vero per doctrinam volumus cognoſcere in alienis perſonis, quorũ corda videre non poſſumus, oportet per ſigna & coniecturas procedere, dicente Chriſto: ex fructibus eorũ cognoſcetis eos, & cũ vnum ſignũ, & pauca non ſufficiant, multa ſunt cognoſcenda, ſunt ergo hęc conſiderandæ: quiuis cui ſit viſio, vel reuelatio. Quid contineat, & quid loquatur, quare fieri dicatur, cui ꝓ conſilio dirigatur, qualiter viuat, & vnde veniat. In primis cõſideratur ſi perſona ſuſcipiens huiuſmodi viſiones, ſit boni, & diſcreti iudicij, rationis naturalis, quia læſo cerebro, perturbatur iudici-

Matth. 7. cap.

Quid conſiderandũ ei cui ſit viſio.

dici-

dicium rationis, vt patet in frenericis, & ægrotis, qui vigilantes putant se talia videre. Etsi habeant huiusmodi læsas phantasias, non sunt magnopere curandæ, sunt enim meræ phātasiæ, & illusiones dæmonis. Quæritur igitur, an sit persona nouitia in zelo fidei, quia Nouitij feruor cito fallitur, si regente caruerit, præsertim in adolescentibus & fœminis, quarũ ardor est nimium auidus, & ideo suspectus. Iterum oportet attendere qualis sit persona, & fuerit, qualiter erudita, quibus assueta, cũ quibus cõuersata, si diues, an egena. In prima superbiam, vel secretam voluptatem, in altera fictionem tenebimus. Ante omnia autẽ attendendum est, ne lateat interior superbia, quæ secundũ S. Bernard. est subtile malum. Attendenda est & visionũ & reuelationum qualitas: si vera sunt omnia etiam ad minimam propositionẽ, quoniam in spiritu veritatis falsitas non est, in spiritu autem mendaci, possunt esse multæ veritates, & vna falsitas vbi anguis latitat. Propterea an sit doctrina desursum iuxta titulos à S. Iacobo positos, si pudica est, pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, iudicans sine simulatione; si nõ excedant visiones hæ communem intelligẽdi modum, vel in scriptura sacra positum, vel in ratione naturali, vel morali collocatũ: q si non, videretur illud frustra

Nouitia.

An doctrina desursum.

Iacobi. 3. cap.

frustra asscribi reuelationi. Requiritur etiam vt persona, cui huiusmodi reuelationes reuelantur, habeat se prudenter & cautissime. Præsertim in principio cõsideret, qua ratione moueatur huiusmodi persona, ad reuelandum secreta sua. Caueat ergo quisquis auditor, & consultor huiusmodi personarum, ne ijs facile assensum præbeat laudando, vel admirando, quasi aliquam sanctitatem habeant, sed potius eam repræhendat, & durius increpet, quod ita exaltetur cor eius, & ambulet in mirabilibus super se, quasi ipsa digna sit, vt Deus ei beneficia singularia, supra communem modum, quo hominibus succurrit, conferat. Hæc cum sapiant omnino superbiam, quæ periculosissima & occultissima est, non est facile fides adhibenda. Quare dicunt S. Patres huiusmodi visiones non esse desiderandas, sed fugiendas, multumque esse periculi. S. August. lib. 10. Confess. cap. 24. & S. Bonauentura in 3. dist. 9. q. 6. & loquitur de quodam S. Patre, cui cum appareret Diabolus in specie Christi, clausit oculos vtraque manu, vociferans se nolle videre Christum in hac vita. Ex alia parte habemus, quod quandoque Angelus Sathanæ transfigurauit se in Angelum lucis, & in fine secuta deceptio, vt factum est de eo, cui reuelauit quod ei nihil aliud deesset, quam obedientia Abrahæ, vt proprium filium occideret,

Cautißime agendum in reuelationibus.

Caueat auditor ne facile assensum præbeat admirando.

Visiones nõ desiderandæ, sed fugiendæ.

deret,&c. De ſimilibus alià ſunt exempla, in vitis & actis Patrum, &c.

DVBIVM.

An ſi Diabolus appareret in forma Chriſti, aliquis excuſaretur ſi non adoraret?

RESpondent Doctores, quod ſic. Alexand. Halen. 3.p.q. 30. memb. 3.art.1.§ 3. S. Bonauent. loco cit. Gabriel ſuper Cano. Miſſæ.lect. 50. quia homo habet triplex adiutorium ſiue remedium vitandi talem errorem. *Triplex remedium pro vitatione huius erroris.* Primum eſt monitio ſacræ ſcripturæ, 1. quæ nobis ſignificat quod Angelus Sathanæ *2.Corinth. 11.* transfigurat ſe in Angelũ lucis,&quod multi venient in nomine Chriſti dicentes, ego *Matth.24.* ſum Chriſtus,& ſeducent multos. Secundũ. 2. Eſt orationis remedium in neceſſitatibus & difficultatibus, & tentationibus; vbique in ſacris literis iubemur ad Deum confugere. Tertium eſt ſuſpenſio actus, nõ ſtatim præ- 3. bere conſenſum, ſed probare ſpiritum ſi ex Deo ſit. Si exempla huius rei deſideremus, non deſunt,inprimis de S.Maria Virgine cũ ab Angelo ſalutaretur, turbata eſt in ſermone Angeli, cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. *Exempla.* Item de Samuele 1.Reg. 3.Item de S.Luciano presbitero qui reuelationem ſibi veram factam per Gamalielem S. Pauli diſcipulum, non ſtatim acceptauit, nec credidit, ſed ſe ſuſpendit donec præmiſſa oratione viſio

ſio tertio ſibi manifeſtaretur, non enim oportet in his rebus facile credere. De his enim verum: qui facile credit, facile decipitur, & leuis eſt corde. Quando autem Deus aliquid vult per viſiones reuelare, talia dat ſigna & documẽta, vt facile cognoſcatur eſſe diuina reuelatio. Exẽpla in ſcripturis, De B. Virgine iam dicta, de viſione facta ad paſtores in Natiuitate Chriſti, de viſione apud monumentũ facta Mariæ Magdalenæ, & de alijs, & de Samuele loco citato. Qua de cauſa, q huiuſmodi viſiones inſolitas & curioſas deſiderant, & ijs delectãtur, facile peribunt, quia q amat periculum peribit in illo. Aliud adhuc documentũ ꝑ diſcretione huiuſmodi viſionũ, poteſt haberi ex Gerſone. Finis attendẽdus eſt, quare fiat communicatio talium viſionum, alicui perſonæ; vtrũ ad oſtentationem, vel neceſſitatem vtrum ad dandũ, vel ad recipiendum cõſilium, vtrum fiat experto, vel inexperto taliũ. Quod ſi tantummodo videatur quærere conſiliũ ne fallatur, videndũ eſt ſi ſe paratum demonſtret obedire conſilio, alioqui iã de curatione vix ſpes erit, quoniam vt dicit Clymachus, non iam eget Dęmone tentante ſe, quia factus eſt ſibi Dæmon. Spiritus enim Sanctus non eſt diſſentionis, ſed pacis & vnionis. Qui ergo decipi non vult, quando huiuſmodi viſiones, & reuelationes occurrunt, à quibus ſancti libe-

Eccl. 19.

Qui viſiones inſolitas & curioſas deſiderant facile pereunt.

Eccl. 3.

Docum.

Nota ſententiam.

1. Corint. 14.

liberari malunt, quam ijsdem frui, eas respuat, dicatq; humiliter cū sancto Petro: Exi à me domine qa homo peccator sum. Solet nonnunquā Diabolus personis incipientib. cum aliquo feruore in locis solitarijs Deo inseruire, vt sunt Nouitij in Religione, vel virgines solitariæ in Cella, apparere, inprimis sub forma B. Virgin. aut aliquorū sanctorū, atq; eorum oculis se subijcere. Hæc itaq; & similia contemnantur, atq; consiliū à sanctis & expertis in spiritualibus, quæratur, quando huiusmodi particulares casus accidunt. Considerandum ad huc aliud secundum nominatum Documentum in probatione spirituū, qualiter & quomodò persona, quæ visiones habere dicitur conuersetur, an in secreto, vel in publico, an in vita actiua, vel contemplatiua, an in deuotione nimia quæ notam affert, in vestimentis, & cœteris, aut si communem habet conuersationē, accommodā his quibus conuiuit. Et præcipue considerandū est, si sit mulier, qualiter cum suis confessoribus & instructoribus conuersatur. Si collocutionibus intendit continuis, sub prætextu nunc crebræ confessionis, nunc prolixæ narrationis visionum suarum, nunc alterius cuiuslibet confabulationis, subiungit prædictus author his verbis (expertis crede) nominatim Augustino, & S. Bonauent. vix est altera pestis, vel efficacior

Luc. 5. ca.

Documentum aliud.

Consideranda cōuersatio.

Nota si garrula & loquax huiusmodi visiones refert.

ad nocendum, vel insanabilior. Quod si nihil aliud detrimenti, nisi temporis preciosi, latissimam hanc consumptionem, abunde Diabolo satis esset. Habent aliud, scitote v. insanabilem videndi, loquendique prurigi- nem, proinde non admirandum, si huiusmodi ad fabulas conuertantur, & à veritate auertantur. Sunt ergo mulieres curiosæ, de

1. Thim 5. quibus S. Paulus ait: Sẽper discentes & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes, vbi & hoc aduertendũ quod supra insinuauimus, mulieres ex sua natura esse habiles ad recipiendas huiusmodi tentationes, & impressiones, sunt enim mollioris naturæ, curiosæ, vaniloquæ, loquaces, & parum expertæ in sacris literis, facile credunt. Ex his infero parum esse prudentes, & magnam præbere occasionem ruinæ multis personis, præsertim mulieribus: & quandoque curiosæ iuuentuti; qui audiunt Confessiones, præsertim mulierum, & aliquando iuuenum incipientium, si assensum præbeant talium personarum reuelationibus, & visionibus, ac deinde referunt in publico vel in concionibus, & exhortationibus etiam non nominatis personis. Tales enim Confessarij existimant esse veras visiones & reuelationes, referuntque ab ipsis tanquam magnæ pietatis indicia, cum tamẽ vt plurimum sint phantasmata, & periculosæ Dæmonis tentationes.

Notent. Confessarij huiusmodi personarũ,

Ex tali

:x tali relatione naſcitur, quod perſonę hu-
ıſmodi, quibus contigerunt talia ludibria
ferantur animo, quando audiunt viſiones
:ferri, quę ipſis contigerunt, & eſt illis mag-
ı occaſio ſuperbiæ & ruinæ. Deinde cum *Reticendæ huiuſmodi viſiones.*
ij auditores audiunt huiuſmodi, tanquam
nctitatis ſigna nunciari, deſiderant, & ſibi
milia contingere, quæ eſt periculoſiſſima
:ceptionis muſcipula; quare cum maiore
uctu & ratione tales viſiones reticentur,
ıam narrentur. Per antedicta tamen non
ɔlumus Nouitijs in Religionibus, alijſque
etatis ſtudioſis diſſuadere, vt ſuas tentatio-
:s & cogitationes, Patribus ſuis ſpirituali- *Tentationes reuelādæ Patribus Spiritualibus.*
ıs non aperiant, ſicut illis contingunt; cum
ec res omnino ſit neceſſaria, & ex antiqua
aditione ad nos vſq; perducta, niſi multos
:rire velimus antequam incipiant, & me-
ocrem in virtutis progreſſu ſtabilitatem
ſequantur, de qua re infra latius. Nunc *Pro cōcluſione documentum.*
'o concluſione hoc documentum traden-
s, quod non ſolum in huiuſmodi viſioni-
ıs, ſed & in alijs tentationibus poteſt habe-
locum. Quandocunque circa tentationē,
ıt noſtras actiones aliquid ſuggeritur, aut
'oponitur nouum aut inſolitum, quod an-
non animaduerſum, hoc habeatur ſuſpe-
um, & diligenter probetur, an ſit ex Deo.
x qua cauſa Nouitij, vel alij pietatis ſtudio-
qui tentantur e. g. huiuſmodi viſione, re-

præſentatur frequenter illis B. virgo, confitentur, & aperiũt huiuſmodi phantaſma ſuo Patri ſpirituali, is admonet eos conſtantiæ, periculi & deceptionis, dicitque vt contemnant, & nihili faciant talem tentationem, ſed orent Deum, vel aliud dat remedium, ſi aliquid innouetur circa huiuſmodi monſtrũ, iterum ſignificetur Patri ſpirituali, vt ipſe cognoſcat, quia poteſt aliquando plus mali, ſub vna ſpecie tentationis latere, quam ſub alia.

Viceſima tentatio.

20. *Tentatio Immodico feruore.* Quandoque inſidiator videt hominem diuinæ dulcedinis, & amoris diuini delitijs abundare, & impetu animi magis, quã iudicio currere, & tantum abeſt quod tum retardet huiuſmodi feruentẽ curſum, vt etiã augeat, eo quod intelligat, ſicut in nauigatione ita etiam in virtutis curriculo, nõ minus periculi eſſe flante ſecunda aura, quam aduerſa. *Dilectione non vtendum intẽperanter.* Hinc S. Bernardus. Nullũ diuinæ dilectionis periculum, tantum inſidiatur, quantum ea ipſa dilectione intemperãter, hoc eſt, immodico feruore vti. Sic Antonius apud Clymachum de quodam Monacho adoleſcente *Exemplũ.* valde diuini amoris igne feruẽti, dixiſſe fertur. Similis mihi videtur adoleſcens hic, naui auro, & precioſis mercibus onuſtæ, quæ *Remediũ.* tamẽ nondum ad portum peruenit. Nec fefellit virum ſanctum ſuſpicio hæc. Adoleſcens

:ens ille postea, miserabili lapsu corruit. Cõ-
ra hanc Tentationem tutum est remedium
ıubmissio alterius, vt qui non est adhuc ex- *Acquiescendum alterius Iudicio.*
'rcitatus in spirituali militia, acquiescat alte-
ius iudicio. Illi enim qui alios regunt, &
orum animarum curam gerunt, sicuti in a-
ijs rebus debent mortificare animas, ne ve-
int quod ipsis placet, sic etiam in spirituali-
ous ne in illo propriam sequantur volunta-
em. Si enim Tyrunculus adhuc existat quis,
ε proprium sequatur capitis dictamen, sine
uina diu perseuerare non potest. Si quis Iu-
iores in via spirituali dirigit, id curandum *Notet qui Iuniores in spirituali via dirigit.*
st, ne nimium currant, neque etiam retro-
edant, sed paulatim de die in diem proce-
ant, cum discretione. Nam & deficere, &
:a cursum præcipitare, vtrumque periculo-
um est, quia vt in collationibus Patrum col-
ı. 6. cap. 14. docemur, necesse est vt secun-
um Apostolum, aut renouatus quis spi-
itu mentis suæ per singulos dies proficiat
d ea, quæ in ante sunt super extendens, aut
neglexit, consequens est, vt retrocedat, at-
ue in deterius relabatur. Et idcirco nullo
ıodo mens poterit in vna atq; eadem qua-
tate durare, veluti si quis contra aquas
uminis, violenter nauem subigere remorũ
npulsione conetur, necesse est eum, aut
irtute brachiorum torrẽtis aluei impetum
escecantẽ, ad superiora ascẽdere, aut remis-

ſis manibus ad præceps prono amne reuocari. Quapropter hoc erit euidens noſtri iudicij detrimentũ, ſi intellexerimus nos nihil amplius acquirere, nec dubitemus retrorſum nos reuocatos omnimodis, quam diu nõ ſenſerimus ad ſuperiora progreſſos, quia vt dixi nec in eodem ſtatu mẽs hominis poteſt iugiter permanere, nec in hac carne cõſiſtens, virtutum apicem poſſidebit, quiſque ille ſanctorum, vt immobilis perſeueret. Neceſſe eſt enim aut illis ſemper adijci, aut minui; hæc ibi.

Non progredi eſt regredi.

Mens in eodem ſtatu non permanet.

CAPVT. VIII.

De Tentationibus importunarum cogitationum & pollutionis nocturnæ quæ ſit Diabolo procurante.

21. *Tentatio Immoderata triſtitia ex tentationibus.*

VIceſima I. Tentatio. Frequẽter in more habet hoſtis humanæ ſalutis, nouos Chriſti milites aggredi importunis, obſcœniſque cogitationibus, & impudicis phantaſmatibus, ita, vt vel omnium præteritorũ peccatorum fœtorem in memoriam reuocent, vel frequentibus & vehementibus ictibus ignitarum cogitationũ efficiantur formidoloſi, & reſileant à propoſito, vt ſentientes ſe pronos, & facile mobiles ad cõſenſum cogi-

cogitationum, quibus impugnantur, immoderata abſorbeantur triſtitia, quę huiuſmodi animis multum pernitioſa eſt. Pro clariori inſtructione in tentatione cogitationum, imprimis in memoriam reuocanda quæ ſupra cap.4. annotauimus, ex illis enim facile aduerti poteſt quę cogitationes peccata ſint, & qualia, & quomodo confitēdæ cogitationes. Secundo, ex quodam ſermone S. Bernardi, qui intitulatur de triplici genere cogitationum, tria occurrunt genera cogitationum à quibus cum ſollicitudine cauendū. Quædam enim otioſæ, & ad rem non pertinentes, quas anima tam facile poſſit abijcere, quam recipere, ſi eſſet vigilans. Aliæ ſunt cogitationes violentæ magis, & fortius adhærentes, quæ ad neceſſitates naturæ pertinent, & quaſi ex eodem limo, de quo & nos facti, aſſumptæ ſunt, huiuſmodi cogitationes oportet reprimere, & reſiſtere, & appetitum à quo ſuam originem trahunt refrenare. Tertium, genus cogitationū immundum nimis ac fœtidum eſt, quod nulla ratione admittere debemus, ſed à longe præſentire fœtorem. Primum genus cogitationum otioſarum, lutum ſimplex eſt non adhærēs, nec fœtens, niſi diutius immoretur in nobis. Secundum non lutum ſimplex, ſed limoſum & viſcoſum eſt. Tertium ſic cauendum, non tanquam lutum & limus, ſed tanquam im-

Pro inſtructione annotanda. 1. 2. *à Tribus generationibus cogitationum ſollicite cauendum.* 1. 2. *Appetitus refrenandus.* 3.

3. *Notand.* mundiſſimum & fœdiſſimum cœnum. Tertio notandum ex eodem ſermone 32. ſuper Cantica, cum cogitamus mala in corde noſtro, cogitatio noſtrà eſt, ſi bona, Dei ſermo eſt. Itaque pacem, iuſtitiam & pietatem Deus in nobis loquitur, nec talia cogitamus ex nobis, ſed in nobis audimus. Cœterum Homicidia, Adulteria, Furta, Blaſphemiæ, & his ſimilia, de corde exeunt, nec audimus ea, ſed dicimus, ſed deinde diſcernere inter morſum mentis & ſerpentis, id eſt, inter malam cogitationem, quæ oritur ex cogitatione carnis, & concupiſcentiæ, & ſeminatam à Diabolo, eſt hominis illuminati à ſpiritu ſancto. Sed ſicut bene S. Bernardus ait, multum refert noſtra ſcire, vnde ineſt nobis malum, dummodo ineſſe ſciamus, vigilandum potius, & orandum, vndecunque ſit, ne conſentiamus, & quomodo diſtinctæ ſuggerantur cogitationes, id eſt, mundo, à carne, & diabolo, tradit cap. 15. meditationum: Caro inquit, mea de luto eſt, & ideo lutoſas & voluptuoſas cogitationes ab illa habeo, vanas & curioſas à mundo, à Diabolo malas & malitioſas. Nunc tradenda ſunt aliqua Documenta quæ inſeruiunt pro remedijs contra cogitationes. Primum, Sedulo excutiendæ ſunt cogitationes noſtræ circa principium, medium, & finem ſuum, quæ tria ſi recte ſe habeant, Angeli boni argumentum eſt; cogita-

Cogitaio bona, Dei eſt.

Nota.

Pro remedijs contra tẽtationes Documen. primum.

gitationes illas ſuggerentis: Sin animæ, per diſcurſum mentis aliquid offertur, vel ſequitur quod ex ſe malum eſt, vel auocat à bono, vel ad minus bonum impellit, quam anima pius decreuiſſet, vel animã defatigat, angit, & perturbat, & triſtitia afficit, ſublata priore pace & tranquillitate, euidens indicium eſt, ſpiritum malignum eſſe auctorem huiuſmodi cogitationis. Secundum. Multa ponuntur à multis remedia contra cogitationes, quæ ponit Turrecrem. ſuper Regulam S. Benedicti cap. 4. tract. 38. Gerſon. in tract. de exercitijs diſcretis deuotorum Religioſorum, ponit quatuor documenta. Primum periculoſiſſimum eſt, ſi quis ſe vult tradere deuotioni & ſpiritualibus exercitijs, ſi non ſcit ſcripturas, nec habet bonum directorẽ, conſiliarium fidelem, expertum, deuotum, diſcretumque, Deum timentem, de quo audeat & poſſit totaliter confidere, & conſciẽtię ſecreta ex toto eidẽ reuelare. Quod ſi non ſit, contingit ipſum periculoſius errare, quã aliquem qui ſimplici graditur via. Secundum. Poſtquã perſona expoſuit verbis generalibus ſuo Patri, illam tentationem, vel illã, non eſt neceſſariũ vltra aliquid in ſpeciali dicere, niſi forte vt intelligi poſſit, ex qua cauſa eſſet, vt melius remediũ dari poſſit. Tertiũ. Diligẽtiſſime ab omnibus caueatur, ne quis aliquo modo dicat, aut faciat, vel ſcriptis,

2. Docum. *Gerſon. tradit 4. Docum. primum.* *2.* *3.*

Cauendũ ne picturis quis, aut alijs, causet tentationes.

vel picturis, vel gestibus, vel figuris, quibuslibet, contra vtriusque sexus pueris siue iuuenibus, vnde possit in eis causari postmodũ turpium cogitationum incentiuum. Quartum Tentatio, turpis quę in cogitatione versatur, vincitur, communiter melius eam cõtemnendo, obliuioni tradendo, quã multũ cum ipsa litigando, repugnando & disputando. Hæc fusius dictus Doctor explicat. Certissimum est, quod est optimum remedium contra cogitationes, & etiam alias tentationes, eas seposita omni verecundia & timore, suo patri spirituali aperire, sic enim omnes antiqui patres tradiderunt; Nullatenus enim, vt dicitur in colla. 2. PP. cap. 10. decipi poterit quisque, non suo iudicio, sed qui maiorum viuit exemplo, nec valebit ignorationi eius callidus hostis illudere, qui vniuersas suas cogitationes in corde nascentes, pernitiosa verecundia in corde nescit obtegere, sed eius maturo examine seniorum, vel reprobat, vel admittit illico, neque vt patefacta fuerit cogitatiò maligna marcessit, & antequam discretionis iudicium proferatur, serpens teterrimus virtute cõfessionis, quodammodo dehonestatus discedit. Hæc ibi: Nihil maiori odio prosequitur inimicus quam quod iuuenes cogitationes & consilia pessima, suis patribus spiritualibus, siue intra, siue extra confessionem aperiunt. Sequi-

4. Tentatio turpis contemnendo vincitur.

Aperiendæ confess.

Nota.

quitur enim inimicus noſter, more nequiſ- *Simile*
ſimi cuiuſpiam amatoris,qui puellam hone- *pulchrum*
ſtorum parentum filiam, vel vxorem alicu- *pro reue-*
ius probi viri volens ſeducere, ſummopere *lantibus*
curat, vt verba & conſilia ſua occulta mane- *ſua confeſ.*
ant, nihilque magis reformidat ac ægrius
fert, quam vt puella patri ſuo, vel vxor marito ſuo patefaciat, cum ſciat hoc pacto de ſuis conatibus actum eſſe. Ad eundem modum obnixa ſatagit Diabolus, vt animam quam circumuenire vult, ac perdere, fraudulentas ſuas ſuggeſtiones teneat ſecretas, indignatur autem maximè, & grauiſſime cruciatur ſi cui, vel confeſſionem audienti, vel ſpirituali patri, molimina ſua detegãtur, ex quibus ita ſe excidere funditus intelligit.

Diabolus odit reuelationem Conſilij ſui.

Contra cogitationes etiam remedium eſt, principijs obſtare, nec permittere eas radices figere; Nã in initio, ſine læſione reijciuntur, at ſi diutius hæſerint, nocent. Quod S. Auguſtinus ſimilitudine declarat, his verbis, de honeſtate mulierum ca.5. Quomodo ſi aliquis Carbones apprehenderit, ſi cito eos reiecerit, nihil ei nocebunt, ſi vero diutius tenere voluerit, ſine vulnere abijcere non poterit. Ita etiam, qui ad concupiſcendum, oculorum deflexerit intuitũ, & libidinis malũ in corde ſuſcipiens, morari in corde ſuo permiſerit, excutere à ſe ſine animæ plaga non poterit. Qui præter hæc, longe vult à ſe repellere omnes

Remediũ. *Simile.* *Remediũ.*

malas cogitationes, ſtudeat mentem ſalutaribus implere, quemadmodum clauus clauo pellitur, ita cogitatio mala, ſalutari fugatur, ex quo fonte; cum mens noſtra nunquam poſſit eſſe otioſa, ſed ſemper aliquid debeat conſiderare, ſi aliunde, vel ſacra lectione, vel ſancta meditatione, vel Spiritus ſancti illuſtratione, nō accipit quod recogitet, ex propria pharetra inanes, & pernitioſas depromit ſagittas, id eſt, fomitem concupiſcentiæ & carnis, vel diuerſas à diabolo, & mundo recipit impreſſiones. Otium ergo multorum malorum, & turpium cogitationum fomentum præbet. Deinde cor & animā abſtrahere à malo, & à rebus caducis huius mundi, & applicare æternis, ac ſine impedimento, per vnionem dilectionis firmiter adhærere Deo, exhaurit maxime fontē turpium cogitationum. Sicut enim ex abundantia cordis os loquitur iuxta Euangelicam doctrinam, & rerum omnium magiſtram experientiam, ſic & cogitationes exeunt de corde, ſi pium & charum Deo cor, pia cogitat, & pia loquitur, Deum quem ex toto corde diligit, mēte reuoluit, ac de eodē libenter loquitur, ſi vero cor prauum exiſtat, impoſſibile eſt pro tali tēpore ſanctas prodire cogitationes, iuxta qualitatem ciborum de ſtomacho ructus erumpit; & boni & mali odoris, flatus indiciū eſt. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.

Mens non poteſt eſſe otioſa.

Otium multorum malorum cauſa.

Remediū.

Matth. 12.

Simile.

Matt. 6.

tuum. Prodeſt ad extremum, vt alia quæ ab alijs ponuntur omittamus, ad expellendas cogitationes, aliquid ſalutaris pœnitẽtiæ aſſumere, vt Deum nobis melius conciliemus, quia facile ſua gratia ab omni tentatione nos eripit. Ad inſtructionem lubet vnam vel alteram ſimilitudinẽ aſcribere quibus Pater ſpiritualis filijs ſuis poterit perſuadere vt omni modo tentationes immundas, & luxuriosas horreant, & expaueſcant, eas autẽ ponit Cæſarius Aurelianus hom. 3. de fugiendis cogitationibus turpibus. Attende ait, quomodo ſi aliquis in veſtimẽtis noſtris flegmata, vel ſputa proijciat, ita nobis horrorem faciunt, vt nec oculis aſpicere, nec ſummis ſaltem digitis velimus attingere. Et ſi nobis ſputa quæ ſine peccato proijciuntur, horrorem incutiunt in veſtimẽtis noſtris, putas cogitationes libidinoſæ, quas diabolus ingerit, qualem horrorem faciunt Deo, in animabus noſtris, & ſputa & flegmata ſic perhorreſcimus, quæ vtique inuiti accipimus, quanto magis cogitationes ſordidas quas cum noſtra voluntate in corde noſtro moras habere permittimus, opus eſt vt cum Dei adiutorio celerius reſpuamus. Aliud exemplum. Quod ſi in Templo Dei de lignis & lapidibus, quiſq; porcos, vel canes introducat, aut lutum mittat, aut ſtercora ſpargat, ita offenditur animus noſter, vt illum per

Inſtructio pro ſpirituali Patre pro filijs, ad euitandas tentationes.

Simile.

Simile aliud.

per quem negligentia ipſa facta flagellare velimus. Et cum hæc ita ſint, quid de nobis cogitamus, ſi in animabus noſtris, vbi ſunt Templa Dei viuentia, multo peiores, quam ſunt ſtercora, cogitationes luxurioſas, vel malignas ſuſcipientes, Deo, qui in nobis habitare dignatur, iniuriam irrogemus. Aliud: *Aliud pulchrum.* Si te in conuentu populi, aliqua famoſa meretrix, expanſis manibus amplecti, aut oſculari conetur, vtrum hoc libenter & patienter accipies? nonne magis eam & manibus repellis, & in faciem conſpuis, timens ne forte qui viderint hoc, ex conſuetudine feciſſe diiudicent. Certum eſt enim quod non ſolum qui honeſti vel caſti ſunt hoc à ſe fieri non permittant, ſed etiam illi, qui in ſecretis luxuriæ ſeruiunt, meretricum amplexus in cōuentu hominum perhorreſcant, plus timentes opprobria hominum in publico, quam Dei præſentiam in occulto. Si ergo propter iudicia hominum nullus eſt, qui velit publicè à meretricibus oſculari, quare in ſecreto conſcientiæ, immundiſſimas meretrices, id eſt, cogitationes luxurioſas & impias non ſolum frequenter excipere, ſed etiam non paruas moras habere permittimus. Aliud: *Aliud.* Nūquid eſt vllus homo, qui ſuper ſeceſſum vel cloacam vermibus plenam, velit diuitius ſtare, & eorum putredinem ventilare? Corpora noſtra fœtorem cloacæ non ſuſtinent

&cor-

& corda cogitationi luxurioſæ conſentiunt. Et vide quæ pars poſſit exhalare maiorem putorem: Si benè & iuſtè iudicas incomparabiliter grauiorem putorem reddunt cogitationes luxurioſæ, quam cloacæ, Quomodo ergo in loco fœtoribus pleno diu ſtare nolumus corpora noſtra: ſic cogitationes luxurioſas & ſordidas, ne ad momentum quidem moras habere permittamus in animabus, vel in ſenſibus noſtris. Hæc ex dicto Authore.

Viceſima ſecunda Tentatio. Diabolus, qui nunquam dormit, ſed ſemper humanā ſtudioſe contendit impedire ſalutem, frequentiſſimè ſolet nocturna illuſione mentes incipientium, qui ad profectum tendunt perturbare. Dum enim homo dormit ſolet turpia phantaſmata commouere, & obijcere in ſomno, vt ſe polluant, idque quod perſæpe fieri contingit in diebus feſtiuis, quando cognoſcit hominem ſacra myſteria frequentare, vt per hoc à ſacra communione impediat, vel deuotionem interturbet, aut ſcrupulos inijciat, quibus impacatam reddat mentem. Sic in collat. 22. Patrum cap. 6. vbi multa de hac materia, traduntur. Legitur de quodam qui ſemper diebus feſtiuis patiebatur pollutionem, vt per hoc impediretur à communione. Ad huius Tentationis informationem paulo altius repetenda eſt doctrina de

22. Illuſiones nocturnæ ad pollutionem.

Exemplū.

Ad infor. notandum.

1\. na de pollutione. Aduertendum inprimis ex Doctoribus, si pollutio consideretur in ordine ad suam causam, triplex eius causa assignari potest. Extrinseca spiritualis, cum ex operatione Dæmonis commouentur phantasmata dormientis, ad talem effectum. Alia

Si ordo causæ pollutionis respiciatur Triplex datur.

1\. animalis intrinseca, cũ ex cogitatione præ-
2\. cedenti, vel reliquijs cogitationum præce-
3\. dentium contingit, in somno pollutio. Tertia est intrinseca corporalis, cum humor seminalis superabundat in corpore, vel cum facta est humoris resolutio, per nimiam calefactionem corporis, aut aliam commotionem, vel natura ob superfluitatem expellit abundans, vel etiam accidit ex infirmitate & debilitate virtutis retentiuæ seminis.

2\. Secundo, vt cognoscatur ratio culpæ in pollutione, aliqua breuiter sunt resoluenda. Primum. Quicunque procurat ob quemcunque finem pollutionem peccat mortaliter, quia dat causam peccati mortalis & actui malo, non est controuersia. Secundum

Notand. Resolutiones ad cognoscendam culpam in pollutione.

1\. licitum est desiderare pollutionem noctur-
2\. nam ob bonum finem, quando pollutio nõ est peccatum, verbi gratia, ad sedandas tentationes carnis, vel vt releuetur natura per modum naturæ. Sic docent Anton. 2. part. tit. 6. cap. 5. Caiet. 22. quæst. 154. art. 5. Syluest. & Angel. verb. pollutio. Tamen ca-

uen-

uendum est in hac re, ne desiderium sit causa pollutionis futuræ in somno. Tertiū, Quandocunque pollutio præterita fuit peccatum mortale, non licet delectari in ea absque culpa peccati mortalis, quia tale est peccatum delectatio, qualis actus super quem cadit, si autem est peccatum veniale, delectatio etiā erit venialis. Quartum, Si pollutio præterita non esset peccatum quæ antecesserit, liceret sibi complacere in ea ob bonum finem, vtpote quia inseruiret ad sanitatem. Quintum qui operi alicui incūbit, vnde euenit ei pollutio, si non tenetur opus illud intermittere, non tenetur etiam cessare à tali opere, etiamsi polluatur, modo non consentiat pollutioni aduenienti, e.g. Aliquis audit confessiones, vbi referuntur turpia, & dum talia audit, polluitur, non tenetur omittere auditionem confessionis. De similibus similis est ratio. Hoc dictum ponit Nauarr. in manuali cap. 16. num. 7. & colligit ex S. Antonino loc. cit. & Turrecremata. d. 6. cap. Testamentum & cap. sed pensandum, Caiet. 17. q. 16. & in summa verb. pollutio S. Thom. in 3. part. q. 80. Sextum. Nulla pollutio inchoata in somno, & in eodē cōsummata est peccatum mortale. Est Aug. lib. 1. de ciuitate Dei c. 25. & patet, quia non est peccatum aliquod, nisi sit voluntarium. Dicitur inchoa-

3. 4. 5. 6.

inchoata in somno, & in eodem consummata, quia si eius initium esset extra somnũ, vtpote quia cogitasset voluntarie de rebus turpibus, & hac occasione veniret, vel se impleßet vino, &c. Dicitur consummata, quia pollutionis initium possit esse in somno, & deinde consummatio in vigilia, si tunc in consummatione complacentiam haberet, non vacaret culpa.
7 Septimum Pollutio nocturna, siue etiam diurna, dum sentitur effluere, non debet coerceri, vel violenter prohiberi, quia vel esset frustra conatus ille, vel naturam supra modum grauaret, quia actus exterior nullum est peccatum, nisi interior. Si ergo in causa non est voluntas, sicuti contingit in somno inchoata pollutione, actus exterior non erit peccatum. Hoc dictum est Gersonis in Tract. de præparatione ad Missam, & pollutione nocturna, consideratione 5. & in tract. de pollutione diurna, proposit. 12. In hoc tamen posteriori loco ait: Nihilominus pro exercitatione virtutis, & euasione periculi videtur expediens vt homo prohibere conetur, quantum sentit, & experitur id commode fieri posse. Probat itidem hoc dictum in priori loco, consilio sanctorum; ait autem sanctos consulere vt non prohibeatur fluxus ille.

Quo-

Quomodo iudicandum eſt de pollutione quæ accidit quando homo neque dormit neque vigilat, ſed medio modò ſe habet?

RESpondetur eodem modo ſicuti de ea quæ in ſomno. Nam ſi ſic ſe habet, non habet plenum vſum rationis, ſed ratio impedita eſt. Si quis interroget.

Quando impedit Communionem pollutio?

MVlta dicũtur ad hunc finem à Doctoribus. Sed Gabriel ſuper Canon. Miſſæ, lect. 10. in fine, reſolutionem omnium dat, vnica propoſitione, quę ſufficit hic. Pollutus in ſomno abſque conſenſu in vigilijs ſequente, vel præuio, dum ſe non ſentit magis hebetem, & per cogitationes ad carnalia reflexum, alijs impedimentis non obſtantibus, etiã extra caſum neceſſitatis, aut remouendi ſcandali, poteſt ſine peccato & meritorie celebrare; dum deuotio trahit, pietas ſuadet, & ſuſceptum officium exigit aut requirit. De hac materia ſcribunt Doctores, S. Antoni. loc. cit. Itidem D. Tho. in locis dict. Alij Theologi in 4. ſent. d. 9. Alexand. Halen. in 4. part. Gerſon in Tractat. citatis ad longum. Ioannes à Turrecremata ſuper diſt. 6. & præcipue ſuper cap. Teſtamentum, &c. Sed penſandum. Summiſtæ in verb. pollutio. Sed antequam vlterius procedamus, moueri poteſt dubium, quod apud Docto-

res non reperi. An mulieres etiam polluantur pollutione nocturna & diurna? Si quis tantum imbutus Philosophia Physica Aristotelis, & quorundam qui ipsum imitati sunt, videbitur illi quod non, cum fœmina non habeat semen virile, sed tantum passiue se habeat ad generationem. Cuius sententiæ itidem aliquando fui, vnde memini me ad hoc fundamentum respondisse cuidam me interroganti ad prædictum dubium, quod non sit necessarium in confessione mulierum cognitio de pollutione. Cum vero legissem acta quorundam virginum cœpi hanc rem diligentius inuestigare etiam Physicæ. Quare dicendum est cum Galeno Physicorum facile principe, in libris duobus de semine, & alijs medicis contra Aristotelem, in lib. præsertim primo de generatione Animalium, in fœminis etiam esse semen, fœminamque non solum passiuè, sed etiam actiuè mediante semine concurrere ad generationem. Hanc conclusionem in illis duobus libris copiosissimè, contra Aristotelis, & suorum sequacium, doctrinam astruit Galenus, Et cum hæc doctrina nobis nunc non inseruiat pro nostro instituto, qui rationes voluerit legere, videat apud eundem autorem. Testatur autem in primo lib. fœminas pati illusionem

Dubium an etiam mulieres patiantur pollut.

Solutio.

n somno, idque probat experientia, Ergo probatur hinc, quod in fœminis sit semen, quia pollutio non est aliud quam expulsio & euacuatio seminis. Respondetur igitur impliciter, fœminas etiam pollui, probatur inprimis authoritate Galeni, qui rationibus quibusdam probat habere semen, tamen nō est negandum fœminas rarius pollui, cum menstruum seminis abundantiam auferat. Secundo legimus in quibusdam, quod habuerint illusiones nocturnas. Sic legimus in Monasterio Thebaidis, in quo Eufraxia virgo claris effulsit virtutibus, morem fuisse in terra cilicino stragulo cubare, ac quoties aliqua sororum minus pudici somnij præstigijs ludificatam se cognouisset, Abbatissæ confiteri, & quantum visa displicerent cinere stratis resperso testari. Sed his omissis nunc descendamus ad pollutionem nocturnam, quæ fit à Dæmone. Hæc enim spectant ad materiam tentationum. Cum hæc materia sit Physica, & ad veritatem cognoscendam, sensibilibus hic de ea loquendum. Omnia sunt munda mundis, relicta Physicorum siue Medicorum doctrina, nos tantum ea Physica declarabimus, quæ inseruiunt ad moralem in hac re intelligentiam. Satis copiosa doctrina à Gersone ponitur. Notandum inprimis, quod à corpore humano varius humor defluit

Exemplis probatur.

per meatus pudendorum, quæ generationi deputata sunt, de quibus Galenus latissimè lib.14. & in alijs locis de vsu partium corporis humani, & in alijs de semine. Et Gerson breuiter de pollutione diurna notabili primo. Vnus est vere seminalis, Alius vero vrinalis, Alius quodammodo medius, qui potest vocari saliualis vel sputalis, & additur in mulieribus menstrualis. Hic de distinctione & causis horum humorum dicere, etsi Gerson agat, tamen non existimo esse conueniens aliquid proferre, si quis cupit aliquid cognoscere, legat Galenũ in loc. cit. & Gersonem. Humor seminalis, nihil aliud est, quã superfluum vltimæ digestionis, non autem superfluũ in qualitate, sed quantitate, quando enim natura habet sufficientem cibum pro alimento corporis, emittit ex omnibus membris superfluum ad vasa genitalia, & quando natura superabundat, conatur varijs modis expellere, quãdoque in actu concubitus & generationis, quandoque ex infirmitate, quandoque cum somno in somnijs, quandoque in somno siue phantasmatibus & alijs modis. Hinc in primis deduci potest quomodo Gula, cibi, potusque immoderata sumptio, faciat ad pollutionem, qui enim multum comedit & bibit, multa colligit superflua, vnde natura multum oneratur, pleraque reponit in vasa seminalia.

Humor seminalis quid.

Gula qualiter pronocet pollutionem.

Qui

Qui autem temperatè viuit tantum necessaria habet pro sustentatione naturę. Vnde legimus in collationibus. Patrum, quod multum illis videbatur, si bis aut ter in Anno pollueretur aliquis. Ipsi enim adhuc naturæ necessaria detrahebant. Deinde pro Regula habeatur quod nullius alius humoris emissio est pollutio seu mollities, nisi seminalis. Pollutio enim vt dictum, est euacuatio & expulsio seminis. Annotentur præterea in hoc loco duo dicta Gregorij. Primum est quod sæpe tales illusiones seu pollutiones, animus nesciens pertulisse, magis dolendus est quam fecisse. Secundo, Quod bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est. Sic tamen agnoscatur vt non indiscretè impediatur iusta operatio, neque corporis debita sustētatio deseratur. Notandum adhæc, huiusmodi fiunt illusiones à Dæmone, per mittente Deo, vel ad terrendū, vel inquietandum, timorosæ conscientiæ puritatem, vel pro boni operis, vt communionis, vel celebrationis impedimento, vel vt vigilanti placeat, quod somnians pertulit, vel vt abstinentiam periculosam & indiscretum vitæ rigorem suadeat, & in insaniam, aliaque mala præcipitet, vel vt Deo propitio deuotam mentem sic exerceat, & ex tali fœditate in humilitate custodiat. Cassianus de institutis cœnobiorum lib. 2. cap. 13. & lib. 3. cap. 5. ex

Antiquis patribus multum si quis ter in anno, pollueretur.

Pollutio quid?

Duo dicta D. Gregorij pro hac materia.

A Dæmone fiunt Deo permittente.

traditione Patrum docet, quare post matutinas orationes Monachis ad somnum reuerti non liceat. Vnam reddit inter cæteras causas, quoniam tunc præcipue fiduciam nostrã deijcere atque eneruare contendit, cum feruentius nos ad Deum tendere orationum nostrarum puritate, & pietate præuiderit, ita vt nonnunquam quo per totum noctis spacium fauciare nõ potuit: sub illius horæ breuissimo tempore dehonestare conetur, Et præterea vt purificationem nostram in nocturnis psalmis & orationibus acquisitam, quadam seminis illusione contaminet. Nos autem pro hoc tempore aliam euidentiorẽ causam possumus reddere, quoniam omnia nostra ferè exercitia religionis & pietatis in die complemus, tẽpore illo inter medio quo monachi ad quietẽ se tradunt, intendit obijcere impedimentum, vt retrahantur à cõmunione, vel celebratione, aut, vt huiusmodi phantasmatibus conscientiæ tranquillitatem perturbet, aut cogitationes imprimat, quibus deuotionem diei impediat, nouit enim integræ diei deuotionem dependere ab ordinatione mentis tempore matutino formata. Hinc contingit, quod quidam, quibus multum inimicus inuidet, etiamsi non polluti ante tempus matutinum, si se ad quietem etiam breuissimam conferant, polluantur.

Post matutinas plerumque contingit & quare?

Dubi-

Dubium. Quæret circa hanc materia quisp...

Qua ratione poterit quis cognoſcere an pollu... processerit ex illusione Dæmonis.

RESpondeo, Huius rei non poteſt c...ta reddi Regula, ſed circumſtantiæ ſu... in ſpiciendæ, ſi quis enim piè & tẽperatè v... & pollutio contingit ſine motu imaginati... nis & phantaſmatis, cenſenda eſt continge...e per reſolutionem naturæ. Eadem eſt ratio, ſi quis Crapuloſe viuat cõmeſſando & ſemper potitando, etiamſi id fiat cum phantaſma...e & imaginatione, quia cum natura multum colligat ſuperflui, facile excitat phantaſmata, quibus ſe exoneret in ordine ad talẽ effectum. Si autem quis vacet rebus diuinis, cogitationes omnes carnis & ſanguinis, quantum præſentis vitæ fragilitas permittit à ſe repellit, in abſtinentia & temperantia vitam degit, ſi ei frequenter obijciantur phantaſmata, præſertim huiuſmodi fœda & immunda, ſignum eſt eſſe à Dæmone. Ratio huius eſſe poteſt, quia qui in abſtinentia viuit, non congregat ſuperfluum, quod per viam naturæ frequenter expellatur; ſed quicquid alimenti habet, neceſſarium eſt ad ſuſtentationẽ. Ex hac cauſa quod ſupra tactum eſt, antiqui Patres tã raro in ſomno polluebantur. Quando ergo cõtingit poſt arctiſſimam abſtinentiã, etiã in pane & aqua aliquẽ

Ex circũſtantiis cognoſcẽ. an à Dæmone. Commeſſantibus & Guloſis ex ſuperfluis contingit.

... ex illusione.

pol[illegible],& hoc ſæpe per tam fœda phantaſmata, [illegible]dicium videtur illuſionis Dæmonis. Quia ergo natura, quæ parce nutritur, non multum grauatur, non facile mouet ſimulachra inclinantia ad tam fœdum effectum, cũ ipſa non ita poſſit formare & proponere ſicut Diabolus, qui ratione vtitur, & materiam horum inferiorum ſecundum diuinam permiſſionem ſubiecta habet. Quod ſi quis ſaltem mediocrem temperantiam in cibo & potu ſeruet, ſi in ſeptimana bis aut ter aut ſępius polluatur, videtur certiſſimum ſignum, ſi per repræſentationem turpium imaginũ id contingat eſſe illuſionem Diaboli. Qua de cauſa, qui vult iudicare an illuſio ſit inimici, cauſam inueſtiget, vnde ortum ſumit, quis ſit proceſſus, deinde obſeruet multitudinem pollutionum, & modum viuendi eius qui patitur pollutiones. Dicti huius vltimi cauſa reddi poteſt, ꝙ ſit certiſſimum ſignum eſſe à Diabolo, quoniam vt ratio docet & Galenus in 1. illo lib. de ſemine tradit etiam experientia diſſectionum, ex immoderato vſu veneriorum exhauritur ſemen, ita vt nihil ſuperſit, & abſtinentia ab actibus venereis multum & craſſum ſemẽ colligit ſicut immoderatus vſus diſpergit, ſed frequenter pollutiones æque exhauriunt, ergo impoſſibile eſt vbi tam frequenter pollutiones ſunt, natura vrgeat pollutionem, præfertim in tem-

Vt cognoſcatur pollutio, ex illuſione inueſti[illegible]ā-da eſt [illegible]auſa.

[illegible]um [illegible] ex [illegible]ſione.

temperantibus. Sequitur ergo quod Diabolus id procuret; Imo ſicut ſequitur neceſſario ex dictis, naturaliter non poſſe eſſe huiuſmodi pollutiones, ſic etiam concluditur, quæ fiunt illudente Diabolo continuo, non poſſe eſſe immundas multũ & magnas, quia exhauſto ſemine, cauſa pollutionis tollitur. Ex quo fonte aliud conijcere libet, fortaſſe vbi ſunt tam frequentes illuſiones non eſſe ſeminales, ſed permiſtas per artificium Dæmonis, ita vt humor alius accedat, multa enim Deo permittente poteſt naturaliter operari Dæmon, non ſolum in alijs rebus inferioribus, ſed etiam corpore humano, quæ nobis incognita ſunt, propter naturæ ſuæ ſubtilitatem.

His annotatis, nunc aliqua ſunt annotanda remedia contra huiuſmodi Dæmonis illuſionem. Primum eſt oratio, quæ eſt remedium contra omnia mala præſentis vitæ. Contra autem hanc illuſionem eſſe, docet Eccleſia in hymno Completorij. Hoſtemque noſtrum comprime, ne polluantur corpora. Ea de cauſa veſpere, quando ſe homo confert ad quietem corporis à Deo expoſtulare debet, vt obtineat etiam tranquillitatem mentis. Accidit tamen quandoque experientia monſtrante, vt aliquis ſequenti die communionem acceſſurus, vel ſacrificium Miſſæ peracturus, ad ſomnum iturus

Remedia contra illuſiones.

I. Oratio.

præparet se specialibus orationibus & cogitationibus contra huiusmodi sordes, & eiusmodi exercitio, renouat phantasmata, & sic nocte incidit in malum quod timebat, tum tamen nihil peccati committit, imo meretur sanctis exercitijs, quibus sic se disponere studebat. Bonum & sanctum est orare, vt Deus custodiat ne polluatur corp⁹, sed ob causam dictam, si quis timidè de casu pollutionis cogitet, facile incidit, maximè si inclinetur ad hunc defectū. Secundum: Quoties cognoscit probabilibus signis esse illusionem Dæmonis, ad impediendum communionem, vel celebrationē, non est cessandum à communione, vel celebratione, sed quantū potest se disponat & confiteatur si fortasse fuisset culpa, si confessarij sit facultas, & confidenter accedat. Constantia enim, tum vincenda est Dæmonis iniquitas, si enim quis in tali casa cessaret, alia quoque vice tentaret: sed quando constanter quis ei se opponit, facilius ipsum relinquit. Hoc tamen ad custodiendam humilitatem & timorem, in multis obseruetur, quod quando quis frequenter polluitur arte Dęmonis, signum est quod multum adhuc habeat in se oleris ad pascendum vitium carnis & luxuriæ. Atque ob id non raro ita tentat, vt homo cadat in delectationem, & consensum vitij carnalis. Imitatur enim aduersarius noster exercita-

Plerumq; post cogitationem timidam accidit.

2.

Si ex illusione non cessandum à communione.

Constantia vincitur Dæmon.

tum

tum in bello ducem, qui obsessam arcem expugnare cupiens explorata prius natura & munitione loci, debiliorem partem aggreditur, vbi se aliquid commoditatis habiturum conspicit, ibi muros tentat, suasque vires exercet. Sic & deceptor callide animam attendit, vt in qua parte ipsam debiliorem conspicit, ibi expugnare contendit, si quem multum adhuc vitio carnali deditũ conspicit, illusionibus nocturnis quando aliter ad vitium carnis trahere non potest, molestat, vt tandem aliquem consensum inducat. Quare qui toties Diabolo procurante illuditur, etsi ipsemet in se non experiatur, cogitet tamen secum quod adhuc multũ in carne teneat de fœtore libidinis. Inimicus homo qui substantiam corpoream perlustrat, cognoscit quandoque in carne nostra eiusque prauis inclinationibus quod nos ignoramus. *Notale.*

Tertium Remedium, est commune contra omnes illusiones, vt homo assumat aliquid pœnitentiæ & satisfactionis. Sic enim reconciliatur anima Deo, satisfacit si quid culpæ commisit, humiliatur & Dei amicitiam impetrat. Vbi hoc bonum remedium esse puto in incipientibus, in quibus abundat calidus adhuc sanguis, & redundant tentationes multum vehementes & turbulentæ, quæ animam tristitia & anxie- 3. *Remed. pœnitentiæ assumptio.*

tate

tate perniciosa commouent, vt si quis tam fœda pollutionis peste exerceatur, ex manifesta inimici impulsione, à Patre suo spirituali, accipiat aliquid disciplinæ verberum, nõ est dubium multum valere contra inimicũ tentantem. Id quod in primis patet exemplo S. Benedicti, q. cum Monachum quẽ diabol⁹ semper extra templum trahebat, virgis percussisset, eum liberauit deinceps à tali tentatione. Deinde videmus quãdo obsessi à dæmone, per exorcismos liberantur, virgarum non raro adhibetur inflictio, nõ tam vt homo qui à dæmone vexatur dolorem in corpore sentiat, quam vt inimicus expellatur. Ad hoc accedit quod quidam tradunt in Praxi criminali. Quando mulieres de arte magica vel veneficio accusatæ in tormentis non loquuntur, nec confitentur ad interrogata veritatem, imo quandoq; non possunt id efficiente inimico, optimum esse remedium, si per modum tormentorum adhibeantur acriora virgarum verbera, eo quod talibus virgarum flagellis, singularis quædam insit vis ad dissoluendum diaboli vinculum.

[Disc]iplina [verbe]rum [va]let contra inimicum. Exempla.

Præter hęc cum huiusmodi pœnitentia magis mortificet voluntatem, quam si homo ipsemet pœnitentiam in se exerceat, plus etiam habet humilitatis, vnde de pijssimo Rege S. Ludouico legimus, quod diebus veneris à suo Confessario disciplinam recipere solebat.

Plus mortificat pœnitentia aliena quã propria.

ſolebat. Vbi tamen hoc obſeruandum, ne medicina in venenum mutetur, ne facile Confeſſarius, vel Pater ſpiritualis hoc facile cum aliquo probet, cuius naturam & interiora conſcientiæ latibula non habet cognita. Quod libenter acceptabit ad ſubleuandũ ſe, à deceptoris vexatione. Si enim aliquis exhorreſceret huiuſmodi ſatisfactionis & pœnitentiæ genus (vt poteſt contingere in ætate teneriori, & in animis necdum ſatis mortificatis) facile qui huiuſmodi remediũ proponeret, redderet animos à ſe alienos, vt non aperirent tentationes, ſicque quandoque in deſolationibus perirent. Itidem, videndum vt huiuſmodi pœnitẽtia eſſet moderata pro ratione eius qui perfert, nec etiam frequentius exercenda, ſi pollutio dæmonis arte in longum tempus continuaretur. Hoc dico Remedium in magnis deſolationibus & fluctibus tempeſtatum non carere ſuo effectu, ſed plurimum iuuare ad conſolationem, & pacem animæ. Non autem vbique habet ſuum locum, ſed tantum in locis pijs, Monaſterijs, & ſpiritualibus congregationibus, vbi exercentur & inſtituuntur animę in pietate; & exercitijs ſpiritualibus contra inſidias doloſi ſerpentis, vt etiam patet in exemplo ſupra relato de Monialibus S. Eufraxiæ Virginis, quæ quoties illudebantur phantaſmatibus confitebantur eidem ſuæ matri, & pœniten-

Diſcreme quibus hib.

Vt ſit moderata neceſſe eſt.

Prædictũ Remediũ magnæ efficatiæ.

nitentia purgabant. Et S. Eufraxia si pateretur illusionem in somno, ita in cinere & cilicio ieiunabat, vt dormiens magis famem, quam turpia somniaret. Qui enim sunt Magistri & Patres in schola pietatis & familia Dei; ita se habere debent erga suos, quorum curam gerunt, vt quantum in ipsis est, toto affectu amplectantur, ita vt neque in confessione, neque extra timeant suas aperire tentationes, quia multi in religionibus præsertim hisce temporibus pereunt, quia sua secreta non aperiunt, & sic misere à Dæmone & proprio sensu seducuntur, Alij vero si manifestent, non habent magistros & Patres exercitatos qui nouerint oportuna remedia adhibere. Si quis legat conuersationem & acta antiquorum Patrum videbit industriam, curam & amorem, erga suos in spiritu filios Hæc late dicta sunt de hac tentatione, quoniam nõ infrequens est apud plurimos.

Ita Patres spirituales sic se erga suos habere debent vt non timeant, se aperire.

Pereunt multi qui sua celant.

CAPVT. IX.

De alijs quibusdam Tentationibus.

23. Tentatio. Circa pusillanimitatem per tetras formas.

VIcesima tertia tentatio. Quandoq; horribiliter humanæ menti se malignus ostentat, per tetras imagines & insolitos aspectus, insuetosque terrores, vt homo relicta con-

confidentiæ anchora, in pusillanimitatis Pelagus incidat. Contra hanc tentationem optimum remedium est, constantia, vt non curet tam horribilia monstra, minatur plurima, cum tamen parum possit, figenda est spes in Deo, sine cuius permissione, nec animali irrationali nocere potest. Inuocanda Angelorum custodia; sicut enim diabolus importunis terroribus metum nobis incutere molitur: sic Angelici ciues suis consolationibus & auxilijs nos muniunt. Quare quicquid moliatur fallax, ingerat horribilia, ostentet horribilia, Christi Athleta fortis cum fiducia dicat: Si consistant aduersum me castra non timebit cor meum, Dominus fortitudo mea & refugium meum, &c. Si quis hac vexetur tentatione, & infirmioris ac timidioris sit naturæ, vtpote iuuenis in spiritualibus, adhuc non expertus, & pusillanimitati propensus, indiget multum patrocinio quotidiano sui Patris spiritualis, qui nunc eum armet contra hostem spiritualibus documentis, nunc consoletur atq; confortet. Inseruiunt quoque remedia alia quæ maximè mouent spem in Dei auxilium, Angelorum custodiam, & patrocinium sanctorum.

Remediũ est Constãtia.

Inuocanda Angelorũ.

Psal. 26.

Psal. 17.

Ad pusillanimitatẽ propensus fulciendus patrocinio spiritualis patris.

Vicesima quarta Tentatio.

MOlitur diabolus & continuo suggerit,

Ad instabilitatem incitatio. vt aliquis ſtatum ſuum in quo benè ſtat; & ſecurè viuit, mutet; ſub hoc colore quod in alio loco quietius, & deuotius viuet, aut plus *Exemplũ.* vtilitatis fructuſque faciet. Sequitur enim in hoc mille artifex, piſcatores, qui faciunt ſtrepitus in aqua, vt exeant piſces de ſuis receptaculis, in quibus in tuto fuerat conſtituti, quatenus fugientes incidant in retia piſcatorum. Quo ad hanc tentationem optimũ *Remediũ.* erit, vt quiſque quando ſtatum vult mutare, cogitet & expendat ſuas vires, adiuncto diuino adiutorio, deinde ſtatus perfectionem, *Quid faciendum in mutatione ſtatus.* mutare autem non conuenit ſtatum, niſi in meliorem. Et antequam quis relinquat ſtatum in quo eſt, neceſſe eſt vt bene deliberet quod ſtatuendum eſt ſemel, ne præpropere aggrediatur, ita vt deinde facti pœniteat, & reſpiciat retro. Qui igitur eligit antequam electionem executioni tradat, curet vt precibus apud Deum contendat, quatenus id eligat & opere comprobet, quod ad Dei gloriam, & animæ propriæ ſalutem ſpectat, ac deinde vtatur prudentis viri conſilio: Quia contingit quandoque ſub colore zeli, inprudenter hominem agere, & ſe in anguſtias redigere. Si cui videatur quod in vno ſtatu quẽ *De mutationi animi cogitãdum non loci.* delegit & aſſumpſit perdurare non valeat, cogitet in primis de mutatione animi, locus non efficit hominem ſanctum, nec etiam reddit quietum, Cœlum (ait Poeta) non animum

num mutāt qui trans mare currunt. Quan-
lo igitur hæc tentatio & ſimiles de mutatio-
ıe ſtatus occurrunt, ſic reſpondendum do-
et Gerſon, ſcio vtique mala & bona vbili-
ıet reperiri, quod ſi mala quædam meus cō- *Remediū pulchrum.*
inet ſtatus; in eo tamen nonnulla ſunt bo-
a, quæ alibi minime repetiuntur. Alibi prę-
:rea mala aliqua inueniri certū eſt, quibus
ita mea caret, & eſt immunis.

Viceſima quinta Tentatio.

NOn multum diſſimilis præcedenti, in- 25. *Tentatio.*
- ducit inconſtantiam in animum poſt *Inconſtantia in ſtatu aſſumpto.*
atum aſſumptum, vt proprius ſtatus diſpli-
:at, & cogitet de alio qui minus perfectus
t. Inducta inconſtantia & pœnitentia ſtatus
quo eſt, tam diu vrget & tentat, donec
enè deijciat. Si enim clauus parieti infixus *Pulchrum ſimile.*
oueatur, idque ab hominibus aduertatur,
mdiu mouent, donec eximant. Ad eun-
m modum diabolus agit, ſi quem incon-
ntem in ſuo ſtatu attendit, tentat donec
giat, quæ eſt, quam periculoſiſſima ten-
:io apud religioſos. Si enim religioſus co- *Periculoſa hæc tentatio apud Religioſos.*
:at vel deliberatè profert, Si non eſſem
onachus non fierem, Tentatio eſt Diabo-
a, & via ad Apoſtoſiam. Quare ſuperiores
:ligionum diligenter inuigilent, ne dia-
lus ſibi paret locum in ſuis ſubditis hac
ıtatione, Ad hoc autem plurimum iuua-
K bit

bit adhortari ad constantiam, vt nõ respiciant retro, eaque adhibere remedia tam in spiritualibus quam temporalibus, quæ faciunt ad perseuerantiam.

26. *Vicesima sexta tentatio.*

Tentatio. Tepor ad diuina exercitia.

NOn rara est apud religiosos hæc tẽtatio, versipellis animaduertit aliquem in religione, in principio quidẽ feruidum, & aspirantem cum quadam diligentia ad salutem animæ, inducit quendam teporẽ ad diuina exercitia, vt sic diuinis consolationibus quibus multũ ducuntur infantes, & veluti lacte enutriũtur, destituatur, & q a anima delectationibus carere non potest, tunc suggerit & proponit animæ, terrenarũ rerũ splendorẽ, & flosculos huius mundi, quia animi præsertim eorum, qui necdum perfectè mundo mortui sunt, facile iterum incenduntur, vt autem hoc efficiat, incipit à minimis sub specie quadam boni, exempli gratia, vt alant aues, delectentur in cultura hortorum, in insitione arborum, deinde in venatione, vel piscatione, & alijs tandem quãdo huiusmodi non commode in clausura vel cella haberi possunt, vt quærant occasiones occupandi se in negotijs secularibus, affectent media quibus ad huiusmodi perueniant, vt dignitates, officia, sicque non secus, atque felis murem cauda allicit, vt apprehendat, diabolus

Vt plenius supra traditum est.

Recursus ad terrena.

Vt nutriãt animalia, &c.

Aspiratio ad officia.

Pulchrum simile.

bolus religiosos ad se trahit paulatim, vt perdat. Non enim statim de extremo ad extremũ, sine medijs perducit, scit enim tum facilius suas insidias cognosci. Nemo potest dicere qui non est expertus, nec etiam adhibet fidem, qui cum ingẽti vigilantia sui cordis actiones etiã secretissimas non discussit, quam multa & magna impedimenta præstẽt tranquillitati & saluti animæ, minimæ etiam delectationes, & affectiones erga res seculares. Quod cũ diabolus perfectissimè perspiciat res temporales (q̃ cum sensibiles sint vehementius imprimunt, & tenacius hærent) obijcit, sicq; extinguit spirituales delectationes, quæ trahunt ad Deum, & terrenas consolatiunculas, & voluptates quæ mouent ad mundum, incendit. Quod optimè figuratum est in Exodo, Cum populus ex Ægypto in desertum proficisci vellet, ad offerendum sacrificium Deo, cõsilium dedit vt occuparentur varijs negotijs terrenis, vt his occupati non haberent occasionem cogitandi de sacrificio Dei. Hac tentatione tantum efficit nostris temporibus diabolus, vt paucissimi reperiantur veri religiosi, in quibus non sit plus de mundo, quam de vero Monacho. Contra hanc tentationem est remedium petẽdum à contrario, vt quisque cum summa sollicitudine se remoueat

Non est credibile quam magna præstent impedimenta affectiones erga res seculares, profectui.

Figura.

Nota quid hac tentatione efficiat Dæmon.

Remediũ.

Remotio à terrenis.

Remotio à terrenis. ab omnibus terrenis,& totis viribus pro fragilitate humana se occupet in cœlestibus, quia quanto magis se quis exercet in aliquo negotio, tanto expeditius id operatur & ad operationẽ deinde sequitur delectatio. Qui igitur incipit cum magna delectatione, & perseuerantia aliquod opus,& itidem perseuerat, is toto desiderio fertur erga tale opus, nec aliud pectore voluit,nisi vt quam rectissimè expediat, vbi enim est Thesaurus tuus ibi & cor tuum. *Matth. 6.* Cum igitur propter sensuũ vigorem, Adolescentia quasi à natura gaudeat,(vt Horatij verbis vtar,) Equis, canibus & Aprici gramine campi; coercenda est, ne sensuum impetum sequatur,& corde pergat ad occupationes seculares, & huiusmodi exercitia: si enim iuuentus se immergat exterioribus laboribus, vacat quiete conscientiæ interiori. *Quibus afficiatur naturaliter Adolescentia.* Laudanda est ergo industria horum,qui omnino ab exterioribus arcent eos,qui se Christi suaui iugo tradiderunt, vt sic assueti discant contemnere præsentia , & diligere sempiterna. *Laudandi qui suos ab exterioribus arcent.* Sumus enim in hoc mundo quasi pueri qui quando ad huc sapiunt vt pueri, delectantur nucibus, & rebus vilioris precij, quæ visum & gustum oblectant. *Simile.* Quod si aurum, argentumque & preciosas margaritas eis proponas, nihili faciũt. Quam rem similitudine hac expressit Chrysost. Homil. 80. in Ioannem, explicans ista

verba

verba ſcripturæ. Fratres nolite pueri effici ſenſibus. Etenim pueri, inquit, magna non deſiderant, vilia ſolent admirari, Equos, currus, aurigas, rotas luto factas, hoc aſpectu delectantur. Quod ſi regem in curru aureo ſedentem, & mulos albos iunctos, & eximium cultum viderent, ne reſpiciunt quidem, prę-terea & puellas ex creta ornant, veras autem pulchras neſciunt, & in multis alijs rebus itidem afficiuntur, tales nonnulli nunc reperiuntur, nulla his cœleſtium cura, ſed ad lutea tanquam pueri obſtupeſcunt, & terrenis diuitijs blandiuntur, & gloriam & voluptates huius ſeculi magni pendunt, quæ ita puerilia ſunt vt illa. Quæ vero & vitæ & gloriæ & quietis cauſa ſunt, non curant, ſed vt pueri his priuati deflent. Illa autem ne deſiderare quidem norunt, ita vt multi in ætate prouecta delectantur nucibus, & rebus vilioris precij, quæ viſum & guſtum oblectant, quod hinc contingit, quia ea quæ oculos paſcunt, magis nos mouent, inuiſibilia vero debilius excitant, & cum non ad veræ fidei lumen intelligentiam eleuemus, quamuis fides edoceat hæc eſſe appetenda, illa vero fugienda, pauci id capiunt. Si quis vero inſpiciat conditiones varias hominum qui in mundo cōuerſantur, videbit fere totum mundum illudi hac tentatione. Inducit enim diabolus per minima ad maxima, vt nihili omnes fa-

Simile.

Hac tentatione ferme totus mundus illuditur.

A minori ad maius.

ciamus prestantiam rerum cœlestium, manibus, pedibusque appræhendamus res huius mundi, venit quis ad aliquã in mundo excellentiam, in principio suadet, fallax auri argẽtique copiã, vt status sui dignitatẽ possit tueri, deinde pompam in vestibus, postmodum in seruis, equis, canibus, ædibus & in cõuiuijs apparatũ; Sic maxime Ecclesiasticis insidiatur, prælatus est, oportet habere vnde pro dignitate viuere valeas, congrega beneficia, vt sicut alij in rerum abundantia viuunt, ita & tu viuas. In principio suggerit, vt minima sibi procurent, exempli gratia, Annulos argenteos, & aureos ad ornatum, deinde instigat, vt vtensilia eiusdem materiæ vilioris precij e. g. choclearia, his habitis, vasa argentea, & aurata. Demum vt per omnia satisfiat mundo (ad quem vsque terminum nunc omnes nos perduxisse videtur, quia apud cunctos eadem stat sententia, quod oporteat se accõmodare mundo: contra Apostolicam sentẽtiam. Nolite conformare vos huic seculo, nequã. Hinc illa Dæmonis vox inducta est, temporalizare oportet, ꝙ quam sit contra diuina præcepta & Euangelicam legem, omnes probè norunt qui Euangelij spiritum à primo, vt aiunt, limine salutarũt.) Hic est modus diaboli procedẽdi, vt in principio à minimis incipiat, quia hæc minus patent, & quandõ principio non obstamus, deducit

Quomodo Ecclesiasticis hæc terrena suadeat.

Nota processum.

Illa praua nunc sententia stat oportet se conformare mundo.

Rom. 12.

Temporalizare oportet.

ducit ad maiora. Quoniam vero hæc Tentatio tendit ad deceptionē mundi, per quē diabolus mira operatur, libet his annotare ex sanctis Patribus ad ædificationē & eruditionem, similitudines aliquas, sanctorū Patrū, quibus periculū mundi ostendatur, & cum quanto studio sit deuitandus mundus, cum omni sua pompa. Damascenus in Historia Barlaā & Iosaphat. c. 12. Qui præsentibus inhiant negotijs, & nullā futurorū habent memoriam, sed delectationes corporales incessanter desiderant, similes esse arbitror homini fugienti à facie furentis vnicornis, quem dum fugeret ne deuoraretur ab eo, incidit in baratrū, dum autē caderet manibus extensis arbusculā quandam apprehendit, & fortiter tenuit, & in basi quadā pedib⁹ impressis, visum est sibi in pace de reliquo fore, & stabilitate. Respiciēs ergo vidit duos mures, album vnum alterū nigrum corrodentes radicē arbusculæ, & iā prope erat vt abscinderēt. Imo in baratro, vidit draconē aspectu terribilem, ignem spirantē, & deuorare eum cupiētem. Intuens vero rursum basim illā super quam pedes habebat firmatos, vidit quatuor aspidum capita de pariete prodeūtia, eleuans vero oculos, vidit de ramis arbusculę illius exiguū mel distillans. Dimittēs ergo cōsiderare q̄ circundederāt eū mala, seipsum dulcedini illius mellis tradidit. Hæc similitudo est eorū

Nota per mundum diabolus mira operatur.

Nota vt vitandus sit mund⁹.

Similitudo pulcherrima.

Expositio similitudinis. qui seductione præsentis sæculi adhæserunt. Cuius expositio hæc est. Vnicornis figuram tenet mortis, quæ semper persequitur humanum genus. Baratrum vero est ipse mundus plenus omnibus malis, & mortiferis laqueis. Arbuscula autem quæ à duobus muribus incessanter incidebatur, quam appræhendimus, vitæ nostræ mensura est, quæ cõsumitur, & diminuitur per horas diei, & noctis, & incisioni paulatim appropiat. Quatuor vero aspides, constructionem humani corporis ex quatuor Elementis significant, quibus inordinatis, compago soluitur. Draco infernus est, qui cupit suscipere eos, qui delectationes præsentes, futuris præponunt. Stilla vero mellis, dulcedinem significant & delectationem huius mundi. Chrys. Homil. 77. in Matth. Cur perforato aquam dolio ingeris? Nihil enim aliud est pro præsentibus istis laborare, quam flammam decerpere, quam pugnis aera cædere. Certe frustra curris. Nonne vniuscuiusque artis finis quidam est? Ita profecto. Ostende mihi igitur finem huius secularis studij, sed non potes, vanitas enim omnia. Isaac presbyter de mũdi contemptu cap. 2. Mundus est meretrix, quæ desiderio pulchritudinis suæ, ad concupiscentiam trahit videntes eam: Qui autem particulariter eius amore deceptus, ipsum fuerit amplexatus, à manibus eius non po-

Nota quã vanũ præsentibus insudare.

teſt

test euadere, donec spoliet eum vita sua, & cum expoliauerit omnibus, eijcit cũ domo sua,& in die obitus sui homo agnoscit eum. Nilus in libro Ascetico; Si illi qui in mari *Simile.* nauigant, sæuiente tempestate merces negligunt, & proprijs manibus onera in mare proijciunt,& fortunis vitam anteponunt,ac ne nauis pondere pressa mergatur, eam subleuant, & preciosissima quæque in profundum iaciunt, cur non etiam nos,propter vitam præstantiorem ea despicimus, quæ animum in profundum demergunt? cur non idem potest Dei timor, quod potest timor maris. Illi caducæ vitæ cupiditate, aliarum rerum iacturam leuem putant, nos qui ad vitam æternam aspiramus, propter illam nihil quamuis abiectum, contemnimus, sed malumus simul cum onere perire, quam illo proiecto saluari. Agite exuamus omnia, nudus enim consistit aduersarius. Nunquid induti luctantur pugiles? nunquid certaminis lex iubet eos nudos stadium ingredi? nudum vero & vnctum oportet certare, nuditas e- *Nota.* nim facit vt ab aduersario luctator appræhendi non possit: vnctio autem vt si quando fuerit appræhensus, elabatur, propterea luctatores puluerem aduersarijs conantur aspergere, vt olei lenitatẽ, pulueris iniectione exasperent, atque ita facilius eos appræhendere valeant. Iam quod illic est puluis, id

in noſtro certamine eſt,in terrenis rebus occupatio,& quod illic eſt oleum, hic eſt quietis ſtudium, ab omni ſollicitudine vacuum. Macarius Homel.45. velut infans circundatus margaritis & indumentis precioſis, vbi eſurierit nihil facit ea quæ geſtat, ſed neglectis illis omnem ſollicitudinem habet ſitam in alimenti mamilla,quo pacto lac ſumat. Sic Chriſtianus contemptis omnibus mundi huius illecebris, totus in Deo eſt. Chryſoſt. homil.de profectu Euangelij. Anima quando diuino amore & deſiderio vere corripitur,ad nihil huius vitæ ſe conuertit, ſed ſicut mente moti contemnunt ignem & ferrum, & feras,& pelagus, & omnia: Ita pij furore quodam maximè ſpiritali, & hòneſtiſſimo inſaniunt,deridentes omnia quæ vident.

27. *Pàce decipit vbi nõ eſt pax.*

Viceſima ſeptima tentatio:

QVandoque ipſe inſidiatur, fugam ſe arripuiſſe ſimulat, & ceſſat à ſenſibilibus tentationibus,vt homo exiſtimet ſe in portu poſitum,& putet pacem,vbi nõ eſt pax. Nouit enim caute aduerſarius, quæ ex tali pàce ſequantur mala. In primis ſecuritas falſa, per quam ſubuertitur timor, qui eſt fideliſſimus animæ cuſtos. Deinde ignauia, & animi remiſſio, Itẽ ignorantia ſuipſius, & propriorũ defectuum, quam comitatur ſuperbia, latẽs ani-

ni malum. Postremo contemptus fratrũ, facile qui huiusmodi pacem in se senti-, ac diutius ea freti sunt, despicere eos nt, qui grauiter tentantur. Contra hanc ationẽ anima munienda est timore, quo ato in maximo est anima periculo, nisi n timueris, cito subuertetur domus tua. amdiu vitæ vsura fruimur, nequaquam re esse possumus, & quo quis se sentit us tentari ab aduersario, eo vigilantius eruet inimici tentantis insidias. Manife- aduersarius facilius vincitur, occultus m plus damni infert. Considerentur er- ui inducunt timorem, humilitatem, & osius cognitionem, & facile experietur iici insultus. Cum tali hoste nunquam habenda. Hinc contingere solet, vt qui m in vitijs duxerunt, & voluptatibus in- ent, omnibusque desiderijs habenas la-, nullas sentiant tentationum insidias, igit enim tentare eos quos cognoscit, se to iure possidere.

Remediũ.

Timore sublato anima subest periculo.

Diabolus quos quietè poßidet tentare negligit.

Vicesima octaua tentatio. 28.

Vosdam non raro solet instigare inimi- cus, ad occupandũ se curiose & incaute, prædestinatione & reprobatione, ac præ- tia, vt cogitent se esse reprobatos, vel citos, &c. vt ex altera parte, si putet se o esse de numero prædestinatorum, ca- t in superbiam & teporem, si vero se

Tentatio circa prædestinationem occupatio.

præ-

præſcitum aut reprobatum, ruat in deſperationis malum. Hæc tentatio, cum nulla fulciatur ratione, quanta facilitate obijcitur, tanta leuitate contemnenda eſt. Certum quod diabolo incognitum eſt, an nos ſimus prædeſtinati vel reprobati. Dei conſilium quis cognoſcit? Dum in hac vita ſumus, & mouemur, ſententia nō eſt prolata, quia poſt diſſolutionem animæ & corporis, homo recipiet, quæ geſſit in corpore, ſiue bonum ſiue malum. Non ſit ergo homo curioſus in iniquiſitione de prædeſtinatione, ſed diligēs in obſeruatione mandatorum Dei, & magnam habeat fiduciam in humilitate, quod ſit de ſaluandorum numero. Attendat quid Apoſtolus dicat ad Rom. 11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ, &c. quis nouit ſenſum domini, aut quis conſiliarius eius fuit? &c. Sape in ſimplicitate & humilitate & noli ſcrutari maieſtatem ſi non vis opprimi à gloria. Dilige Deum & præcepta eius obſerua, & ſi aliquando de reproborum conſortio fuiſti, nunc eris de ſanctorum corona.

Diabolo ignota prædeſtinatio.

2. Cor. 5.

Qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria.

Viceſima nona tentatio.

29. CAlliditas non minima ſerpētis eſt, omnia ſpiritualia arma & ſtudia, quibus anima fidelis cœleſtis gratiæ opem, & internam lucem conſequi poteſt, reſecare. Ideo partim dulcedine rerum temporalium, partim

Tentatio neglectus ſpiritualium ſtudiorum.

tim vano timore & pudore, à ſpiritualibus exercitijs, oratione, ſacra lectione, concione, Ieiunijs, ſimilibuſque actionibus auocat, vt his ſalubribus armis deſtituti, facilius ab eo ſeparentur Chriſti milites. Quemadmodum olim Philiſtæi 3. Regum 13. cauerant, ne eſſet faber ferrarius inter filios Iſrael, quo armorum præſidio priuati, facilius in manus hoſtium venirent. Hoc artificij genere nunc monaſteria exhauſit, ſuſtulit doctrinam, abſtulit in ſpiritualibus peritiam, induxit ignorantiam, ac demum omnium rerum diuinarum negligentiam. Valet ad vincēdam hanc tentationem exercitium frequens in ſanctis operationibus, & comparatio armorum ſpiritualium.

Nota Quomodo præſidiis ſalutis, vt plurimum deſtruãtur monaſteria.

Tricesima tentatio.

INgerit hoſtis curioſitatem experientiæ, vt homo videlicet ſemel alicui peccato incũbat, aut illicitæ vacet voluptati, vt ex inde ad plenum ſatietur, nec poſtmodum illius rei vnquam concupiſcentia capiatur, idq; ideo quia ſcit hominem poſtea grauius delicturũ. Nam quamuis huiuſmodi voluptas ſatiata, modico tempore deſiderium non excitet, poſtea tamen fortius vrgebit: Vt enim qui graui febreque laborant, ſi aquam frigidam bibant, ſtatim quidem releuatur æſtus, inde vero longe vehementius inſurgit. Qui

30. Tentatio curioſitatis experientiæ.

Remediũ vt nullũ

actui consentiatur. Qui hac tentatione impugnatur constanti animo repugnet, ac nulli illicito actui consensum præbeat, Si vero semel cōsensum dederit, postea iterum impugnabitur. Quemadmodū canis assistens mensę (inquit Chrysost. Homil. 3. de Lazaro) si viderit hominem *Simile. pulchrum.* vescentem subinde, subinde aliquid eorum quæ in mensa sunt, ipsi proijcientem, manet assidue: Quod si semel atq; iterum sic astitit, & discesserit nihil adeptus, protinus abstinet, veluti qui iam frustra & incassum assistat, itidem & diabolus nobis iugiter inhiat, si quod blasphemum verbum ipsi proijciamus, hoc accepto, rursus aggreditur, quod si perseueraueris gratias agere, iugulaueris eū fame, celeriterque abegeris, & aufugere coegeris. Quod hic sanctus dicit de verbo Blasphemo, de quolibet peccato potest asseri, præsertim de actu fœtido Luxuriæ, illa voluptas non facile satiatur.

31. *Tricesima prima tentatio.*

Tentatio. Deceptio sub specie humilitatis. SVb humilitatis specie, animum ad opera virtutem pronum, impedit à bonis operibus, ne illum homines sanctum dicant & arbitrentur, vt inde non superbiat. Sic enim *Remediū. magno animo opera virtuosa peragēda.* efficit, vt quis Acediam discretam humilitatem existimet. Generosi est animi non curare huiusmodi volantes flatus, sed magno animo aggredi virtutis opera, ac diabolo respon-

ſpondere, propter te nec relinquam bonum opus, ſed ad laudem, & gloriã Dei, & proximorum ædificationem incipiam: ſi enim oculus ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit, ſi intentio recta, tota actio bona erit. *Matth. 6.*

Triceſima ſecunda tentatio. 32.

Tentatio. Exquiſitio propriæ ſanctitatis.

INſpirat fallax, vt homo apud ſe quærat an ſit cœteris hominibus ſanctior & melior, an alius, ille, vel ille deterior, vnde exurgit ſuperbia, inuidia, temerarium de alijs iudicium, & ſimilia mala. Cogitet hic homo ꝙ nihil à ſeipſo habet niſi peccatum, ſi quid boni hoc à Deo eſt, qui & illud alteri poteſt pro ſua benignitate largiri, & à te ſi ſuperbias auferre.

Remediũ.

Triceſima tertia tentatio. 33.

Tentatio. contra rerum omnium abdicationem.

EX S. Gregorio lib. 32. moral. cap. 21. Sic alloquitur eum Sathan, qui omnia deliberat relinquere, vnde hæc tantæ temeritatis audacia ſurrexit, vt credere audeas quod omnia relinquendo ſubſiſtes? Aliter te creator condidit, atq; tu aliter teipſum diſponis, valentiorem te, robuſtioremque faceret, ſi ſequi te ſua veſtigia, cum inopiæ neceſſitate voluiſſet. An non plerique & terrena Patrimonia nequaquam deſerunt, & tamen ex his per miſericordiæ opera, ſupernæ ſortis bona æterna mereantur.

Tricc-

Tricesima quarta tentatio.

34. *Tentatio, contra abdicationẽ volũtatis.*

EX eodem ibidem, qua eos aggreditur, qui se subdere volunt obedientiæ, O quanta per temetipsum miranda agere poteris si nequaquam te arbitrio alterius subdis? Cur profectum tuum sub studio meliorationis diminuis? Cur tuæ intentionis bonum, dum vltra quam necesse est extendere niteris, frangis? Quæ enim cum voluntate propria vsus es, perpetrasti? Qui ergo tibi ad bene viuendum sufficis, alienum super te iudicium cur requiris? Hæc blandiẽs intimat, seorsum vero in voluntatibus eius proprijs, exercendæ superbię causas parat, & cum laudat, cor de intestina rectitudine inuestigat callidè, vbi subruat in prauitate. Hæc Grægorius. Ad expellendas huiusmodi tentationes, considerentur quæ Dominus in Euangelio tradit de consilijs perfectionis, & respondeatur malæ suggestioni, vade post me &c. Sathan, non enim sapis, ea quæ sunt spiritus Dei. Si quando alicui Spiritus Sanctus suadet religionẽ, metiatur suas vires, & probet quid valeat, adhibito consilio bonorum virorum, & si consultum repererit, non respiciat retro, quando inimicus dissuadet.

Remedia requirẽda ex Euangelio de perfectione. Matt. 16.

Tricesima quinta tentatio.

23. *Tentatio fastidium cellæ in Monachis.*

QVotidiana fere est diaboli tentatio, qua Monachos insequitur, ingerit eis cellæ mole-

molestiam, vt sic cellam exeant, per Monasterium vagentur, solitudinem odio prosequantur, dissolutionē incurrant, ac alijs impedimento sint. Nouit enim ad motum continuum corporis, mentis sequi instabilitatem, & euagationem cōcomitari multa mala. Hanc tentationem impedit labor continuus in cella, iuxta illud vulgare. Nunc lege, nunc ora, nunc cum feruore labora. Sic erit hora breuis, & labor ipse leuis. Si enim aliquis vacet otio diu consistere in cubili non poterit. Iuuat etiam ad amouendam hanc tentationem, bona disciplina monastica, vt non permittatur eis occasio euagandi. *Remed.*

Tricesima sexta tentatio.

Si quos aduertit inimicus magis abductos à sensibilib' & carnalibus vitijs religiosos, solet ad ambitionis vitiū incitare, ita vt vix inceperint esse Monachi, quādo mitrā portant in corde, ambiētes vt tandē aliquando ascendant ad caput, tunc enim neglecto domini amore & honore, incipiunt seipsos amare, proprium honorē quærere, appetunt proximis præfici, dominari & præesse, magnatum consuetudine delectari, blandientibus sibi aures libenter porrigunt, increpantium verba contemnunt, & si impediuntur quo minus vanus appetitus expleatur, grauissimè indignantur & turbantur, aut animo excruciantur, nō propter Deum, sed quia res ipsis *36. Tentatio. Ad Ambitionem incitatio.*

non ſuccedit ex animi ſententia. Tales enim mundi vanitatibus illuduntur à dæmone, & ſentinam omnium vitiorũ congregant. Monachus religioſus diu perſiſtere nequit, ſi cõcupiſcentia, & ſuperbia vitæ, cor eius occupant. Ad repellendam hanc dæmonis inſpirationem, iuuat plurimum attendere finem, quem præſtitutum habere debet, qui religionẽ ingreditur, nõ vt honores, diuitias, bonaque caduca quærat aut voluptate fruatur, quippe qui renunciauit omnibus rebus huius mundi, per paupertatis votum, diuitias reſcidit, per caſtitatis ſponſionem, propria carnis holocauſtum obtulit, per obedientiæ promiſſionem, ſuæ voluntatis abnegationẽ profeſſus eſt. Videat ergo an præſtet fidem Deo cui ſe fidei ſacramento & profeſſionis iuramento addixit, quod velit abrenunciare diabolo & pompæ eius. Contra hanc itidem tentationem inſeruit humilitas, & omnia remedia quibus expugnatur ſuperbia.

Si ſuperbia vitæ, cor Monachi occupet nõ ſubſiſtit.

Remedia.

Monachus non ob honores ingreditur Monaſterum.

Triceſima ſeptima tentatio.

37. *Tentatio. vt putet ſe quis aliquid eſſe, cum nihil ſit.*

TEntatio periculoſiſſima, quia occultiſſima, quando nobis cogitatio ſuggeritur, qua perſuadet dæmon in animo noſtro, nos aliquid eſſe talis enim cogitatio, ſuperbiæ (quæ omniũ vitiorum mater & virtutũ nouerca eſt) pleniſſima exiſtit. Suſurrat enim in aures, nos vel ingenio, vel ſcientia, vel pietate, vel

te, vel prudentia rerum agendarum, gulari aliqua virtute pollere. Hæc & sim. quia spectant ad spiritum superbiæ, remec quæ solent adhiberi contra superbiam, sun. depellenda.

Tricesima octaua tentatio. 38.

Tentatio Corruptio intẽtionis.

EST autem aliud hosti studium cum à bonorum studio, & virtutum actionibus, mentem auocare nequit, ipsius operis intentionẽ, à qua eius fructus dependet, corrumpere nititur, vt vel vanam gloriam, vel alium prauum affectum operetur. Huic tentationi oppositum est remedium: vtpote etiam supradictum est: secundum mentem Bernardi dicere. Propter te non incepi, nec etiam finiam. Recta intentio coronat opus.

Remediũ.

Tricesima nona tentatio. 39.

Tentatio mala sub specie bonorum.

SVadet quandoque dæmon hominibus vitia sub colore virtutum, sicque transfigurat se in Angelum lucis: Non secus atque fraudulentissimus mercator, vendit pro lapidibus preciosis fragmenta fictilia, stannum expolitum pro argento, &c. Hoc pacto sub colore prouidẽtiæ suadet auaritiam, sub prætextu misericordiæ remissionem indebitam, sub specie iustitiæ crudelitatem, sub pallio discretionis teporẽ. Scit enim tentator difficile esse, medium tenere, & virtu-

Vitia colore virtutum suadet.

..nter extrema consistere, in quibus fa-
e contingit error. Hæc tentatio quoniam
.nititur fallaciæ, confugiendum est ad re-
ctam regulam prudentiæ, quæ discernit fal-
sas virtutes à veris, & regula fidei, sc cet sa-
cra scriptura adhibenda est, & s .endum
etiam consilium à viris peritis in spirituali
militia, ac etiam secundum instructionem
Oratio. Catholicæ Ecclesiæ orandum. Veritas tua
quæsumus domine semper maneat in cordi-
bus nostris, & omnis inimici falsitas destrua-
40. tur.

Tentatio. Periculum sub specie boni.

Quadragesima tentatio.

SVggerit sub prætextu boni, periculum,
sic, vt quis possit opera misericordiæ ex-
1.Thim.6. ercere in pauperes, consulit acquirere diui-
Suadet vt superioritas acquiratur ad succurrendum.
tias. Nouit enim Pauli doctrinam, quod qui
volunt diuites fieri incidunt in laqueos dia-
boli. Hac eadem arte, sub specie, vt quis mul-
tum vtilitatis Repub. possit conferre, monet
vt quis appetat dignitates, & superiorem in
Vbi finis periculosus & media.
Repub. Ecclesiastica vel ciuili potestatem.
Contra hanc tentationem valet caudam a-
nimaduertere inimici, colorē boni in prin-
41. cipio obijcit, sed in fine videtur cuius toni
sit. Quandocunque finis est periculosus, me-
dia etiam periculosa existunt.

Tentatio. Comparationem cū deterioribus superbiam suadet.

Quadragesima prima tentatio.

INstigat vt homo se deterioribus compa-
ret, eisque se anteferat, tunc superbiæ viti-
um

um prima fronte incurrit, vt cum se respe-
ctu peiorum, bonum reputet, cum malus sit, in sua malitia permanet, & cum malus sit reputat se sanctum. Ad hanc materiam nō dissimile adfert Cæsarius homil. 31. Quomodo inquit, aucupes facere solent, qui columbas quas prius cœperunt excœcant, & surdas faciunt, vt dum ad illas reliquæ columbę venerint, præparatis retibus capiantur. Ita etiam hostis antiquus, de tepidis clericis & negligentibus Monachis vel desidiosis virginibus exercere consueuit, vt cum in eis oculos patientiæ clauserit ignemque compunctionis, vel flammam veræ charitatis extinxerit, de solo habitu religionis, persuaserit ad aliorũ perditionem gloriari, veluti iudices eos in exemplum proponit ac præparat. Quæ opponuntur superbię, huic etiam cōtraria sunt tentationi.

Simile.

Nota.

De solo habitu gloriantes alios decipiunt.

Quadragesima secunda tentatio. 42.

Complacentum in aliqua virtute.

ALiquam virtutem singularem, exempli gratia, castitatem, vel continentiam, vel paupertatem, nō dissuadet, vt homo tandem de huiusmodi virtute sibi complaceat, ac in superbiã ruat, nulla virtus sine humilitate consistit.

Quadragesima tertia tentatio. 43.

Tentatio. vt perfectos specie virtutum decipiat.

CHrysost. homil. 31. in Genes. & hom. 4. de verbis Esaiæ vidi Dominum. Sicut Pyratæ nauigantes in mari non tunc insidi-

antur cum è portu vident egredientes: Nam quid prodesset inuadere nauem vacuam, sed tunc artes omnes mouent, cum onustæ redeunt. Ita & malignus cum nos videt multa conuexisse pietatis opera, & virtutes, esseque nauem nostram gemmis pietatis plenam, tunc vndequaque obijcit, vt thesaurum rapiat, & in ipso portus ingressu spoliet. Callidè ergo veros perfectos aggreditur transfigurans se in Angelum lucis, & peccatum sub virtutis specie insinuare contendit, vt sub velamine charitatis, carnalē affectionem, sub prætextu honoris Dei, priuatam laudem, sub desiderio salutis animarum prę-lationis inspiret apicem. Hortatur enim ad prædicationem, secularium conuersationē, ad mulierum virorumque indistinctam familiaritatem, adferens illud Pauli. Omnibus omnia factus sum, &c. In his & similibus, periculosi latent dæmonis laquei, quibus capiuntur qui non discreti in discernendis motibus animi sunt, & efferūtur corde. Sic multi, qui aliquādo inter astra nidos suos collocasse putabantur, occasione fraternæ charitatis, in lutum carnalis concupiscentiæ lapsi sunt. Sic quoque plurimi sunt, qui veluti sol inter cœtera sydera lucēt apud homines, sed ex frequenti secularium conuersatione tepesiunt, & ad secularia desideria redeunt. Hoc pacto etiam contingit, vt aliqui in humili

Sub specie boni fallit virtuosos.

1. Cor. 9.

Conuersatio secularium nociua.

mili ſtatu ſub obedientia & diſciplina, animæ puritatem & tranquillitatem conſeruẽt, adepta vero dignitate, acquiſitiſque honoribus, quibus curæ ſollicitudineſque huius mundi annexæ ſunt, miſerabiliter ſuperiorum obliti, ad ima deſcendunt. Apoſtolicæ perfectionis eſt in dignitate humilitatem, in ſecularium conuerſatione mentis puritatem, in familiaritate mulierum, caſtitatem, & in condeſcentione proximorum, cordis retinere rectitudinem. Vnde qui in mundo conuerſatur, ſemper ante oculos habeat illud Pauli. Qui ſtat videat ne cadat, & exerceat ſe in timore Domini & humilitate.

Nota quā periculoſum in prælatione.

1. Cor. 10.

Quadrageſima quarta tentatio.

44.

Tentatio. Intempeſtiuo ſomno.

Solet quoque, præſertim Iuuenes ſiue iuniores qui incipiunt Deo inſeruire, diabolus vexare immoderato & intempeſtiuo ſomno. Id quod non raro accidit illis, qui in ſpiritualibus ſe exercent, vel nocturno tempore dum Deum laudant, aut etiam orant. Hoc tamen annotandũ, quod ſomnus etiam quando impedit tempore orationis nõ ſemper prouenit ex deceptione dæmonis ſed quandoq; etiam ex neceſſitate naturæ, quandoque ex infirmitate. Quando ſomnus vrget ex neceſſitate, non aliud eſt remedium quam cum moderatione, naturæ concedere

Remed.

quod ei debetur, si vero ex infirmitate oritur, non est permittendum vt omnino vincat, sed tribuēdum est aliquid temporis tam necessario operi. Cum autem subrepit ex ignauia & immissione dæmonis, remedia adhibenda sunt, quæ carnem excitent ne permittat se à somno superari vt sunt Ieiunium, & corporis asperitates. Quantum ieiunium conferat patet experientia: abundantem cibum & potum somnus longus sequitur.

45. *Tentatio molestia in diuinis.*

Quadragesima quinta tentatio.

NOn est infrequens tentatio apud eos qui orationi & spiritualibus vacant exercitijs, qua eos diabolus vexat, vt dum orāt vel meditationi vacant, molestia & desolatione afficiantur, vt tempus abbreuient & nimis longum arbitrentur, atque sic cessent ante determinatum tempus. Quemadmodū enim facile est protrahere tempus affluente consolatione, sic molestissium est perseuerare, pulsante desolatione & tentatione. Contra hanc tentationem remedium est vt ad deuincendam perfidiam diaboli tunc protrahatur vltra tempus præscriptum, sic enim malignus videbit se frustratum sua intentione, & cessabit.

Remed.

46. *Tentatio Immoderatū desiderium sciendi.*

Quadragesima sexta tentatio.

QVæ etiam doctis & perfectis quandoque solet multum esse molesta. Nimiū videlicet & immoderatum sciendi desiderium.

um. Cum enim ſtudium literarum multum ſit vtile Reipub. ſub ſpecie boni multi decipiuntur, præſertim illi qui bonum commune multum affectant. Studendum eſt ſuggerit malignus, vt cum honore & gloria valeas proximis prodeſſe, vt nomen tuum valeas ſcriptis conſecrare poſteritati, vt præcæteris ſcientia polleas; tum in maiore authoritate eris magiſq; vtilis Reipub. Nouit fallax, huiuſmodi deſideria, abundare ſuperbia & ambitione. Multi grauiſſimè ſciendi deſiderio tentantur, in primis eo quod inimicus ex naturalibus multum habeat adiumenti ad hoc immoderatum deſiderium. Quia & Philoſophi tradunt; Homines naturaliter ſcire deſiderant, ex quo fundamento & primos homines hac via aggreſſus eſt: Eritis ſicut dij ſcientes bonum & malũ. Naturali huic appetitui accidit excellentia & nobilitas huius exercitij. Cum enim homo à Deo conditus ſit rationis particeps, nõ eſt maior perfectio intellectus cognitione: Et cum omnis potẽtia præſertim rationalis, maximè delectetur in ſuo naturali actu & obiecto; non eſt maior delectatio in intellectu, quam ſcientia. Auget hoc etiam deſiderium, amor propriæ excellentiæ, quia vt manifeſtum eſt, ſcientia eſt magnum mediũ ad conſequendum honorem, honos enim alit artes. Præter hęc occurrit prætextus pietatis, intentio videlicet Gen. 3.

iuuandi proximum. Hæc ſunt maximè, quæ huic tentationi fomentum præſtant. Aduertendum tamen non omne ſtudendi deſiderium eſſe repræhẽſione dignum, ſed immoderatum, quia & diuitiæ bonæ ſunt, tamen qui volunt cũ magno deſiderio diuites fieri, incidũt in laqueos diaboli, & deſideria multa inutilia, ſicuti enim amor nimius diuitiarum ſpectat ad auaritiam ſic & immoderatũ ſciendi deſiderium, ad idem ſpectat vitium. ſecundum Magiſtrum ſentent. Non eſt tamen paſſim iuuentuti timendum, vt in hac parte erret, quæ verberibus magis ad ſtudia compellitur, quã voluptate ducitur. Quandoque tamen contingit aliquos reperiri, qui nimio deſiderio ferantur, & tunc niſi ab eis quorum intereſt ſtudium moderetur, aut ad talem ſtatum deueniunt, vt neque ſibi, neq; alijs proſint, aut aridi ſine ſapore diuinæ dulcedinis & ſapientiæ, poëtæ & Philoſophi euadunt, quibus enim aſſueſcit iuuentus, eis ſemper adhæret, vt ne quando nimis dedita ſtudijs, ſtudia totis viribus inſectatur cum vehementi delectatione, ea vero quæ animæ negotium concernunt, cum hoc impedimentum ſit interpoſitum, leui brachio, ex conſuetudine potius quam amore, ſine affectu percurrit, magni faciens id quod parui faciendum eſt. Quis itidem non attendit, quod quando intellectus totus in

Immoderatum ſtudium repræhenſibile.

cogni-

cognitione,& ſpeculatione occupatur,& delectatur, voluntas remaneat ſicca ſine deuotionis ſucco. Oritur nonnunquam aliud malum ex immoderato ſciendi deſiderio, vt ita quidam ſcientiæ amore rapiantur, vt ſui ipſius obliuionem capiant, nec aliud putant eſſe exercitium dignius homine in mundo, quam libros euoluere, & inanes in humanis ſcientijs ſpeculationes habere, ſic omnem curam earum rerum, ad quas ratione officij vel ſtatus tenentur, prorſus abijciunt, vt alijs ſint offendiculo, quibus eorũ cura ſubuenire deberent. Optima ſtudẽdi ratio eſt, in tantam libertatẽ animũ conſtituere vt recta ratione ſtudium in Deum referatur, & animarum ſalutem, maioremque curam impendere in excolenda anima, & cognitione ſui ipſius, quam in ſcientia humana. Quęrendum in primis regnum cœlorum & reliqua adijcientur. Magnus enim eſt qui inuenit ſapientiam & ſcientiam, ſed non eſt ſuper timentem dominum ait Eccleſiaſticus. 25. Attendendum, vt bene quidam deuotus, admonet, quod in extremo iudicio non requiretur à te quid legeris, ſed quid egeris, nec etiã quã bene locutus fueris aut dixeris, ſed quã benè vixeris, & mandata Dei obſeruaueris. Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum, Et omnia prætereunt præter amare Deum. Tandem ſcientia altiſſima &

Abuſus ſtudij.

Studendi ratio ſalubris.

Matth. 6.

1. Cor. 3.

Vera ſui cognitio

vtiliſ-

Altißima scientia est. vtilissima est, vera sui ipsius cognitio, de seipsis nihil tenere, & de alijs semper bene & altè sentire, magna sapientia est & perfectio. De qua re in Euangelicis illis libris. De Imitatione Christi, lib. 1. cap. 2. plenius differitur.

Quadragesima septima tentatio.

47. *Tentatio. Indiscretũ desiderium iuuandi proximũ.* LEo rugiens, qui semper circuit quęrens quẽ deuoret, iustis & sanctis viris inspirat indiscretum desiderium iuuandi proximum, per quod obliuio sui ipsius nascitur, & & hæc tentatio tanto grauior, quanto sanctior is qui tentatur, qui tanto magis inclinatur ad bonum commune, & proximorum salutem. Charitas enim non quærit quæ sua sunt, sed magis quæ aliorum. Huius tentationis exempla habentur in vitis Patrum, vbi diabolus hac arte ex solitudine ad ciuitates moliebatur allicere. Adhibita lima prudentiæ & discretionis, impendenda est cura proximo, ne dum alios quærere nitimur, nos ipsos perdamus. Cuius rei nos Dominus in
Matt. 16. Euangelio admonet quando dicit. Quid tibi prodest si vniuersum lucratus fueris & animæ tuæ detrimentum patiaris, & Ecclesia-
Ecce. 26. sticus inquit: Recupera proximum secundũ virtutem tuam, & attende tibi ne incidas.

Quadragesima octaua tentatio.

48. *Tentatio. Obiectio carnalium* [illegible] DIabolus omnia regna mundi, carnisque delitias simul quandoque obijcit, vt in aliquo capiat. Vnde S. Macharius, vidit Dæmonem

monem euntem ad Monasteriũ quoddam cum multis vasculis, vt qui ex vno renueret bibere, ex alio sumeret. Dat pro hac tentatione hanc similitudinem B. Chrysost. Homil. 27. operis imperfecti: Sicut homo malignus, si viderit aliquem orphanum, habere substantiam paternam, ducit eum frequenter ad prandium, donat illi internũ aliquod speciosum vestimentum, loquitur illi dulces sermones, donec tollat facultates eius. Sic & diabolus, videns hominem habentem in se thesaurum cœlestẽ, id est, animam immortalem à Deo creatam, sapientem, cœlestem, & in arca terrena positam, ideo ostendit illi aurum, & argentum, & concupiscibilia ornamenta, ostendit illi vestes preciosas & delicatos cibos, & gloriosos honores, vt per hoc illum subiugans voluptatibus suis, auferat salutem animæ eius, & corrumpat gratiam cordis ipsius. Hæc tentatio cum sit vniuersalis præcipue cõfutatur illis medijs, quibus Christus in Matthæo Sathanam vicit. 4. cap.

Quadragesima nona tentatio.

SOlent maligni spiritus hanc tẽtandi formam artẽ aduersus strenuos Christi milites exercere. Cum omni ex parte eorum animos conspiciunt munitos, in omnem se conuertunt immanitatem, & nullo seruato tentandi ordine, cunctorum vitiorum ignitas 49. *Tentatio. Obiectio cunctorum vitiorum*

tas ſagittas cordi immittunt, vt animus fatigatus,& crebra impugnatione & reluctatione trahatur ad delectationis cõſenſum. Qui ſic impugnatur diuinum inuocet auxilium, cum conſtantia & fiducia inuocet mellifluum nomen Ieſus. Hoc enim aerijs poteſtatibus terribile eſt,& ſentiet ſe victorem. Alia etiam in ſeruiunt quæ dicta ſunt de importunis deſolationibus.

Inuocatio Ieſu.

50. *Quinquageſima tentatio.*

Tentatio. Immiſſiones cogitationum tẽpore orationis.

IMmittitur à dæmone ſæpiſſime importunitas cogitationum,tempore orationis, vt vel fructum orationis impediat , vel homo importunitate victus , orationis exercitium relinquat,non ignorat fraudulentus quantũ bonũ ſit oratio;quibus modis ſæpe, orationem ſanctorũ,malignus interrumpat , exẽpla legat qui voluerit apud Marcum Marurum in lib.2.cap.3. de ratione bene beateque viuendi. Quantum ad hanc tentationem attinet , de importunis cogitationibus quæ obijciuntur , non multum eſt curandum, modo homo voluntate propria nõ conſentiat. Accedunt enim partim ex corruptione naturæ, partim moleſtatione inimici, vnde potius pœnæ ſunt quam culpæ, niſi nos proprio conſenſu , culpas efficiamus. Quemadmodum enim , vt ſupra dictum eſt , primi motus,ſi inuitis nobis oriantur, & ſine cauſa

Non conſentiendũ.

vlla,

vlla, non reputantur ad culpam; sic & huiusmodi molestæ cogitationes plus inferunt molestiæ, quã damni. Atq; hoc etiam obseruandum, quemadmodum in naturalibus nõ omnium est eadem dispositio, sed diuersa, sic in rebus animi quidã facilius perferunt frigus, alij cũ maiori molestia, sic in his tentationibus plus molestiæ vnus perfert quã alius, eadem est ratio in omnibus tentationib⁹. Non tamen hinc sumenda mensura sanctitatis & innocentiæ, nõ enim is fortior censendus est qui impugnatur, sed qui multũ & streune pugnat, sic etiam sanctior censendus qui seipsum fortius vincit, atq; cum magno animo resistit insultibus. Nec etiam resistẽdum est istis immoderatis cogitationibus cũ extremo labore & fatigatione cerebri & virium: quia sic haud facile perseuerare posset, & oratio res molestissima videretur. Oratio enim non est opus nosttarum virium, sed humilitatis & diuinæ gratiæ. Confugiendum ergo ad Deum, vt non patiatur nos tentari, vltra quod possumus, sed doceat nos orare, cohibeatque inimici conatus. Ad hæc Angeli nostri custodes inuocandi, vt prohibeât inimicorum impetum, & ante orationem anima munienda est præparatione, & in processu orationis vigilantia adhibenda, ne occupemur in huiusmodi cogitationibus. Qui vult plurimos

Quomodo resistendũ.

Oratio est opus diuinæ gratiæ.

1. Cor. 10.

aduer-

aduertere modos, quibus diabolus sanctos olim solebat impugnare, vt in foueam præcipitare, & iterum cognoscere vias quibus ei obuiandum, legat plurima exempla sanctorum Patrum, collecta apud Marcum Marulum loc. cit. lib. 5. cap. 7.

Quinquagesima prima tentatio.

De hora mortis.

51. *Tentatio. Desperatione misericordiæ diuinæ.* ADuersarius qui per omnem vitam quærit occasionem perdendi animas, vehementius omnes suæ versutiæ neruos, in hora mortis intendit, vt hominem à fiducia misericordiæ diuinæ deturbet, quia scit post exitum vitæ, si hominem in vita non capiat, nihil superesse spei. Obijcit autem in agone peccata præterita, eorumque grauitatem, diuinæ iustitiæ rigorem, inferni pœnas, aliaq; quæ desperationis viam aperiant, & diuinæ misericordię vberrimum fontem destruant, nec non ingerit aliqua contra fidem quandoque etiam horribilibus visionibus terret, vt hominem in istis malis contineat, ne sit memor bonorum & beneficiorum Dei, qui non vult hominem perire. Exempla huiusmodi tentationis, adfert quidem in primis quotidiana experientia, si qui frequenter hominibus in extremis adsint, facile vident ex eorum commotionibus & timore quo percelluntur quando amplius, loqui nesciunt,

funt quæ ſint ſigna inimici terribiliter inſidiantis. Referunt itidem exempla Greg. lib. 4. Dialo.c.38. Hugo à S. Victore lib.1.de anima cap.2. Bernardus in lib.de interiori domo ca. 38. Et Innocentius 3. in lib. 2. de contemptu mundi cap. 42. tradit itidem de iſto timore. Et concil. Trident. ſeſſ.14 in Doctrina de S. Extremæ vnctionis. Tradit etiam hanc dæmonis vexationẽ, Cyrillus Alexandrinus in oratione de exitu animæ. Greg. Homil. 39. in Euangelia. Seuerus Sulpitius de tranſitu S. Martini. Hæc locutus (inquit) diabolum vidit prope aſſiſtere; quid (inquit) hic aſtas cruenta beſtia, nihil in me funeſte reperies, Memini me ſupra aliquid dixiſſe, vel ſaltem attigiſſe in conſolationem timidorum, de hac tentatione, nunc aliquid addendum, in conſolationem & protectionem morientiũ.

In primis certiſſimum eſt iuſtos & ſanctos nõ debere adeo timere; quia vt bene S. Aug. de diſciplina Chriſtiana cap. 2. dicit; Certè non poteſt male mori qui bene vixit, Muniuntur enim illi Angelorum præſentia, ne terrore dæmonum torqueantur. Sic S. Gregor. lib. 4. cap.11. Dialogorum, deſcribens mortem vrſini presbyteri, refert illi in morte apparuiſſe amicos Petrũ & Paulum Apoſtolos, & teſtatur quod plerumque contingat iuſtis in morte ſua, ſanctorum pręcellentium viſiones aſpicere, ne ipſam mortis ſuæ *Iuſtis non timẽdum.*

pœnalem ſententiam pertimeſcant. Alias iuſtorũ viſiones in ſequentibus narrat. Vnde & hoc addendũ, non deeſſe nobis in morte, præſertim eorũ Angelorum & ſanctorũ patrocinium, quos in vita in ſingulares delegimus patronos, & eis particularẽ honorẽ impendimus, amicus enim ſi omni tẽpore auxilium ferat, multo magis tempore neceſſitatis ſuccurrit. Cautela (antequam ad alia deſcendamus) notetur, pro eis qui agonizantibus aſtant, vt tunc non proponant ijs quæ terrorem & timorẽ incutiant, in die malorũ, id eſt, mortis, memor eſto bonorum, id eſt, beneficiorũ Dei, q̃ impendit peccatoribus, & eiuſdẽ miſericordiæ, qua omnes vult ſaluos fieri, & adijciẽda ſunt, q̃ fiduciã in Deum excitẽt, ſicuti in die bonorũ, id eſt, huius vitæ, quãdo homines in peccata prolabuntur, memores eſſe debent malorum ſcilicet iuſtitiæ diuinæ, peccata punientis, mortis & inferni: Iuxta illud; Memorare nouiſſima tua & inæternum non peccabis. Sic dũ finis vitæ inſtat, & infirmitas premit, id eſt, in die malorũ, memores eſſe debent bonorũ, ne in deſperationẽ ruãt. Non tamẽ per hoc q̃ trado, Agonizantibus non eſſe proponenda quæ timorẽ incutiant volo, vt decipiantur ſpe longioris vitæ, quãdo nõ eſt ſpes, vt ita imparati incidant in ipſum mortis punctũ, hoc enim eſt peſſimum conſiliũ carnalium amicorũ, nolũt enim infirmo

Patroni protectores in extremis.

Notanda pro Agonizantib'.

Eccle. 7.

Non decipiendi ſpe longioris vitæ.

firmo, quando etiā manifesta apparent signa mortis, significare, ne tristē reddant; sed promittūt illi adhuc multos annos, vt nō timeant, vbi tamen maximè timendum. Fideles Christiani, & prudētis amici & hominis est, vt quādo periculum mortis est, benigne admoneat suū amicū, his verbis vel similibus, amice in potestate Dei es, magisq; dispositus ad mortē, si secundū humana velim' procedere indicia, quāuis Deus ōnia mutare queat, quā ad vitam, ideo cogita de dispositione rerū tuarū, vt si dies Domini tanquam fur in nocte veniat, te paratū inueniat, q autem aliter timet ægrotum offendere, dantque ei spem longioris vitæ donec spiritum exhalet, sunt inimici hominis etiāsi amici carnales & domestici eius: quādo vero nulla est spes vitæ, sed mors stat in foribus, nudis & simplicibus verbis dicendū infirmo, vt se auertat ab omnibus rebus huius mundi, & omnē cogitationem in Deum conuertat, & præstoletur ipsius clementiā. Rebus huius mundi occupare hominē iamiam moriturū, extremę dementiæ est. Duobus enim modis, solet diabolus potissimū tentare in illa hora, aut proponit mala, vt trahat ad desperationem, aut offert bona, vt incitet ad præsumptionē. Si ergo diabolus mala obijcit ad desperandū, repete quę faciunt ad consolationē, vel consolandum; si bona ad præsumendum reco-

Modus admonitionis.

Dementia moriturū occupare rebus huius mundi.

Remedia contra hãc diaboli rabiem. gita quæ inseruiunt ad humiliandum. Nunc agendum est aliquid de remedijs contra diaboli in extremis rabiem.

1. *Vnctio extrema.* Primum & maximum est, sacramentum extremę. Vnctionis, eius enim effect' plurimum valet, ad repellendas dæmonis in illa hora fraudes & terrores.

2. *Aqua benedicta.* Secundum, est Aspersio aquæ benedictæ per totum in quo infirmus iacet, valēt enim sacramentalia ad expulsionem diabolicarum tentationum.

3. *Oratio 7. Psalm.* Tertium est Oratio, maxime septem psalmorum pœnitentialium, vnde scribit Possidonius. cap. 31. in vita S. Augustini; quod Augustinus ante mortem legebat hos psalmos, ad hoc reduci potest inuocatio sanctorum, sanctarumque omnium, quod fit in Litanijs, vnde à quibusdam certæ orationes collectæ sunt, pro dormientibus siue morientibus.

4. *Inuocatio Iesu.* Quartum, est inuocatio & congeminatio nominis Iesu, cum exhibitione S. Crucis, præsertim quando visibiliter animaduertitur, quod infirmus agitatur terroribus & insultibus maligni, & itidem crebrius tum aspergenda aqua benedicta.

5. *Contactus Reliquiarum.* Quintum, iuuat etiã contactus reliquiarum sanctorum, quia has dęmones fugiunt, nec ferre possunt, vt tradit, & exemplis cõprobat Marcus Marulus loc. cit. Huic remedio

die adiungamus vſum Agnorum Dei, vt traditur de eius effectibus.

Induſtria viri ſpiritualis.

Poſtremo in illa hora multum valet induſtria viri ſpiritualis, ſicut non parum obeſt ſermo inutilis hominis carnalis. Tandem vt concludamus, dum vitam adhuc fortem agimus, dominum Deum exoremus, vt non ſolum quando bene valemus, protegat, ſed multo magis in agone inimicū comprimat, ne præualeat contra nos, & quia ad extremā vitæ horam cum tentationibus peruentum eſt, hic finem faciemus. Si quis vero adhuc alias particularium perſonarum vult cognoſcere tentationes, legat Gerſonem ſuper magnificat tract. 8. in illa verba. Depoſuit potentes de ſede, &c.

In vita orandus Deus contra tentamenta.

CAPVT VLTIMVM.

De remedijs generalibus contra tentationes.

Remediū primum. Adiutoriū diuinum.

PRimum eſt, Adiutorium diuinum. Cum enim infirmi ſimus potentiſſimoſq; hoſtes habeamus. Dei auxilium nobis implorandum eſt: Clamauit, inquit, Pſal 90. ad me & exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum Hinc in ſcriptura dicitur, vigilate & orate, ne in-

tretis in tentationẽ Matt. 27. Eſt igitur oratio ſummum præſidium. Conſiderans ergo hoſtium potentiam, & tuam imbecillitatem ora cũ Ioſaphat Rege. 2. Paralip. 20. in nobis ô Domine non tanta fortitudo, vt tantis aduerſarijs poſſimus reſiſtere, ſed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolũ habem⁹ reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.

2. *fiducia in Deum.* *Pſal. 90.* Secundum eſt fiducia ſiue ſpes in Deum. Ipſe enim iubet vt ſperemus in eum, & confidamus ꝙ velit ſuccurrere & liberare. Vnde in pſal. Quoniam in me ſperauit liberabo eum, &c. Et iterum ſperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te domine. Item Exod. 14. Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis. 2. Paral. 20. Non eſt veſtra pugna ſed Dei. Ieremiæ. 20. Dominus mecũ eſt tanquam bellator fortis, idcirco q̃ perſequuntur me cadẽt & infirmi erunt. Nec minorem fiduciam addunt ea quæ Apoſtolus dicit Rom. 8. ſi Deus pro nobis, quis contra nos?

3. *Timor Domini.* Tertium, Timor Domini, Timor enim cuſtodit in bono, & euitat pericula, vnde bene ab Eccleſiaſt. 27. c. admonemur: Si non in timore Dei tenueris te inſtanter, cito ſubuertetur Domus tua. Ad euitanda huius vitæ pericula, neceſſarium eſſe timorẽ, pulchre tradit Euſeb. Emiſſenus Homil. 5. ad Monachos. Nemo (inquit) de præteritis ſecurus

ſit,

sit, tanti laquei obiecti sunt ante pedes animæ nostræ, tam innumeri hostes obseruãt, & custodiunt iter nostrũ, tantæ foueæ & tanta præcipitia, tantæ rerum difficultates interiacent inter nos & finem nostrum. Via ipsa quæ per se ardua & arcta est, tantis spiritualium latronum insidijs obsidetur, tantos nos scopulos, tantosque fluctus transire necesse est & videre, antequã anchoram optato in littore collocemus, & putamus nos de præteritis esse securos, & sine quotidiana cura, & sine quotidiano timore & tremore, diẽ nostrũ transigere debere: Et post pauca: Etiamsi magna pars vitæ istius prosperè videatur fuisse transacta, non ideo fiduciam præsumamus, cum adhuc periculum pars extrema minetur, Quis in acie positus, ante finem certaminis, & ante victoriꝫ sententiam arma deponat? Ad hanc rem illustrandam aliæ faciunt similitudines, quꝫ à Patribus adferuntur. Basilius in Psal. 33. Quemadmodũ q corporis membra clauis habent affixa, ad actionem quamlibet ea immobilia retinẽt, sic hi quorum animam occupauit timor Dei, omnẽ prorsus importunã peccati occasionẽ vitant. Machar. Ho. 27. Christiani sub timore degunt & tremore. Quemadmodũ si qs habẽs thesauros, ꝓficiscatur ad loca in quibus sunt latrones, gaudet quidẽ ꝓpter thesauros & opes, nihilom. metuit, ne quo pacto latro-

Securitas periculosa.

Simile.

Aliud simile.

nes irruant ac deprædentur illũ. Item Homil. 43. Sicut mercatores inter nauigandũ, etiamsi ventum propitiũ & mare tranquillum nacti sunt, necdum ad portum peruenerint, metuunt, ne quomodo repentè cõtrario vento excitato, fluctibus æstuet mare, & nauis periclitetur: Sic & Christiani licet habeant in se flantem prosperum ventum sancti Spiritus, adhuc tamen formidant, ne ventus aduersariæ potestatis insurgat, qui flet, & tempestatem fluctusque moueat animæ eorum.

Aliud.

4. Quartum Remedium, quod multum adiumenti præstat contra omnes tentationes dæmonis, abrenunciatio omnium terrenarum facultatum & diuitiarum, & contemptus sæculi; quia hæc omnia maxima præstant impedimenta ambulantibus in via Dei, & diabolo ad tentandum fomenta, vnde Apostolus. Qui volunt diuites fieri incidunt in laqueos diaboli & desideria multa quę mergunt ad interitum. Hinc diuitiæ in sacris literis dicuntur spinæ, muscipulæ insipientiũ. & comparantur Reti, &c. Et cupiditas quæ earum mater est, ab Apostolo, Radix omnium malorum nominatur. Hoc remedium optimum tradit Gregorius in Homil. Euangelij. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum: Ad se, (ait) nobis venientibus, dominus præcepit, vt renunciemus nostris.

Cõtemptus sæculi.

1. Thim. 6.

Nota.

Quia

Quia qui ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos ſpiritus ſumimus. Nihil autem maligni ſpiritus, in hoc mundo proprium poſſident, nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam ſi veſtibus quiſpiam cum nudo luctatur, citius ad terram deijcitur, quia habet vnde teneatur. Quid enim ſunt terrena omnia, niſi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat veſlimenta abijciat ne ſuccumbat. Hæc Gregorius. S. Chryſoſt. nō diſſimile adfert, Homil. 8. in Epiſtolam ad Rom. Serpentis formam gerit, deorſum trahitur, ab inferiori loco depugnat, id eſt, à rebus quæ infra nos ſunt, à voluptate, diuitijs, à ſecularibus rebus, ſi quem vident volatu ad cœlum ferri, primo ſaltu eo vſque contingere haud quaquā poteſt, deinde id aggreſſus celeriter labetur: neque enim pedes habet, ne formides; non alas nec terreare, ſuper terram trahitur, his quæ intra ſunt adhæreſcens. Igitur nihil ſit tibi cum terra commune, & labore nullo egebis. Neque eam pugnam nouit quæ aduerſo vtrumque cornu geritur, ſed veluti ſerpens ſpinis occultatur, intra diuitiarum impoſturā aſſidue latitans, qui ſi ſpinas incideris facilè aufugiet timidus redditus. Si & in illum diuinas incantationes canere noueris, ſtatim vulnerabitur. Sunt enim nobis incantationes ſpirituales, ipſum

nomen Domini nostri Iesu Christi, atque ipsius crucis potentia.

5. *Humilitas.* Quintum, est humilitas, cum superbia omnium malorum fons sit, & virtutum subuersio. Humilitas quæ pietatis mater est, superbiam enecat, caputque serpentis infernalis quasi amputat, vnde non habeat vnde tentet. Hinc dum S. Antonius omnes diaboli laqueos extensos conspexisset gemens clamauit, Domine quis euadet hos laqueos, audiuit vocem de cœlo dicentem; Sola humilitas. Quisquis in hac vita à multis malis liberari cupit, permaneat in humilitate, ea expulsa nihil nec vmbra quidem veræ virtutis perseuerat.

6. *Præsentia Dei.* Sextum, præsentia Dei, & considerare, quod quicquid homo facit id fieri in conspectu Dei, & ciuium cœlestium. Si turpe tibi videtur, quod in aliquod consentias in præsentia hominum, quare non pudore perfunderis in conspectu Dei & Angelorum, iuxta illos versiculos.

Si quid turpe facis quod me spectante puderet.

Cur spectante Deo non magis ipse rubes?

7. *Consideratio nouissimorum.* SEptimum vt in vno fasciculo multa cõpræhendamus, consideratio nouissimorum:

rum: Memorare ait ſcriptura nouiſſima tua & in æternum non peccabis. Attende ergo mortis horam incertam, diſſolutionis autem neceſſitatem quæ ante mortem, quæ in morte, quæ poſt mortem fiunt, & videbis quam miſerrima ſit futura caro tua, quam nunc omnibus delicijs foues. Deinde ex omni parte iudicij formam expende. Quis Iudex, quæ Iudicij forma, quid iudicaturus, & quis iudicandus. *Eccl. 7.*

Quid vero in foribus ſit accepta ſententia iudicij altius recogita, vel infernalis ſine termino pœna, cuius magnitudo & profunditas, intenſio & extenſio, à creatura vix cogitatione comprehendi poſſunt? vel ſummi boni & infiniti poſſeſſio, ſi viriliter in hac vita certaueris, & in nullam turpitudinem ſuadentibus dæmone, mundo, & carne conſenſeris. In hoc quoque articulo latius circumſpicere libet, videlicet celebrem memoriam nominis, famæ, & honoris, quibus victores in ſpirituali bello afficiuntur, non ſolũ in futuro, ſed etiã in præſenti ſeculo vbi maximis feſtiuitatibus colũtur, & eorum membra & oſſa, quæ cilicijs & contemptu rerũ omniũ in viuis premebantur; poſt mortem argento auro, pretioſiſque margaritis adornata ſunt. Gloria vero

carna-

carnalium & potentum huius mundi perijt cum ſonitu, & veluti vmbra euanuit.

8. *Principijs obſtare.* Octauum, Reſiſtere principio tentationis, nec dare locum diabolo, quod alij vocāt conterere caput ſerpentis. Quod & Ethnicus Poeta Ouidius docuit, dum ait: Principijs obſta ſero medicina paratur, dum mala per longas conualuêre moras. Hinc & Gregor. Si tentationi in corde naſcenti feſtinè non reſiſtitur, hac eadem, qua nutritur mora roboratur. Ad hanc vero dilucidandam inſeruire poteſt illud Exodi. 12. In Exodo. Legimus in morte primogenitorum, liberatos filios Iſraël de ſeruitute Pharaonis. Pharao obduratus eſt, dæmon, cuius primogenita ſunt principia tentationum, quæ ſi quis ſtatim conculcet, liberatur à ſeruitute diaboli. Nos igitur qui ſumus Chriſti milites, imitemur magnanimum illum ducem 1. Macha. 12. Ionathan, de quo Machabęorum hiſtoria narrat, quod non dederit inimicis ſuis tempus aut ſpatium, vt ingrederentur fines illius. Cuſtodiamus ergo & nos caute terminos terræ noſtrę, ne inimicus per cogitationem, delectationem, & conſenſum cor noſtrum ingrediatur, facilius enim non admittitur, quam expellitur hoſtis.

9. *Meditatio paſsionis Chriſti.* Nonum Remedium, eſt paſſionis Chriſti meditatio, ex qua conſurgit & excitatur charitas, & amor in Saluatorem, qui omnes tentatio-

tationes vincit. Vnde Paulus hac dilectione æstuans dicebat, Quis me separabit à charitate Christi? Post multa enumerata, nec Angelus, nec principatus, nec potestates, nec vlla creatura. Hinc qui exercitati, sunt in consideratione passionis Christi, tentationi omnis vitij remedium obijcere possunt. Si verbi gratia irritantur ira, medela est patientia Christi, inuidiæ opponunt Christi orationē, qui etiam pro transgressoribus orauit, tentantur acedia in spiritualibus, attendunt sanguineas guttas quas pro nostra salute emisit orans in horto. Si Gula moueantur, potum Christi felle & aceto mixtum attendunt, & sic de similibus. Ad hoc remedium referri possunt, Inuocatio nominis Iesu, quando pulsant tentationes & signum sanctæ crucis. Plurimum enim confert, quando quis tentationibus & cogitationibus pulsatur, vt se muniat signo sanctæ crucis, vel manum admoueat pectori cum suspirio, quod etiam fieri potest in præsentia aliorum, & eis non aduertentibus.

Rom. 8.

Signum sanctæ crucis saluberrimum.

Decimum, frequens vsus sacramentorū, cum hæc enim & gratiam conferant, eamq; augeant, prębent magnam virtutem animę, vt fortiter possit resistere, Et præsertim ad hunc effectum plurimum valet sacramentū confirmationis, quod corroborat aduersus dæmonem, mundum, & carnem in hac vita, 1.

Vsus sacramentorum frequens.

Sicut

Sicut extrema vnctio in fine vitæ. Ad hoc referri queunt omnia sacramentalia, quæ extrinsecus repellunt molimina inimicorum.

11. *Aßidua operatio.* Vndecimum, Est assidua operatio, semper enim aliquid boni agendum, vt diabolus hominem non inueniat otiosum, quia otiam magnam occasionem tentandi dat. Sicut per rimam sentinæ (ait Bernardus) aqua latenter intrat, & excrescit, donec nauis per nautarum incuriam demergitur, ita ex otio atque ignauia, cogitationes prauæ & concupiscentiæ multiplicantur, donec nauis cordis eius succumbens, in peccato periclitetur.

Per otium accrescunt tētationes.

Qui ergo magnam facem occasionum cupit extinguere, continuo labori incumbat, quia vnus idemque labor continuus parit fastidium, diuersitas exercitiorum est assumenda. Nunc legendum, nunc scribendum nunc orandum. Vnde de S. Antonio narratur, quod malus spiritus tanto solitudinis tædio animum eius pulsauerit, vt dubius esset quid in tam ancipiti pugna agendū, ad Deum exclamaret in hanc vocem, En ego Domine Iesu, cupio his in locis tibi famulari, & nescio quo me inuitum subinde rapit violenta mentis meę euagatio, Hæc dicenti, Angelus Monachali habitu iuxta eum apparuisse dicitur, & cum aliquamdiu nunc

Exercitiū sit diuersum.

nunc genibus prouolutis orasset, nunc surgens manibus fiscellas texuisset, ad Antonium conuersus dixit, Ita & tu Antoni fac, & sic euanuit. Sic deinde precum,& laboris vicissitudine, Antonius diaboli insidias vicit.

Duodecimum, Adhibere aliquam afflictionem carnis, & pœnitentiam vt ieiunij, cilitij, disciplinæ, aut similis exercitij carnis petulantiam reprimentis. Cum hoc remedium omnibus non placeat, immo omnes amore carnis vinciantur, & vix pauci intelligant illud: Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam: videndum quomodo ille temporales afflictiones inseruiant ad deuotionem, & ad fraudes maligni cauendas. In primis vt fructus horum operum intelligatur, perpendat homo, quantum mali consequatur carnis petulantiam. Sicut enim Equus effrenis & robustus, statim sessorem deijcit, sic & caro quæ fortis est, sine freno, animæ rebellis existit, in foueam præcipitat. Non potest esse dubium, omnes malas cupiditates, & animi affectiones suum habere fundamentum, & vigorem in corpore, licet anima secundum quod sentiens, atq; ex qua parte communem portionem cũ bestijs habet, affectuum eorundem sit principium. Cum autẽ ea pars sit sensualis, suos bestiales motus exercet secundum carnis dispositionem,

12. Afflictio carnis.

Ioan. 12.

nem, si caro fortis & potens, semper excitat vehementes motus, ac rationi quæ in homine cuncta moderatur insultat; si autem caro reprimatur per asperitates corporales, quæ ipsi molestæ sunt, spiritus fortior redditur. Vnde possumus elicere, quod caro quæ magis mortificata est, eo fortior spiritus, & contra quo caro potentior, eo spiritus infirmior. Qua de causa non male Apostolus dixit: Cum infirmor fortior sum. Vt igitur sentina malorum quæ in vase carnis latitat, & nõ aliud indies effundit, quam prauas cogitationes, vana desideria, peruersos lasciuiæ motus, exhauriatur, quantum præsentis vitæ imbecillitas admittit, caro conterenda & mortificanda est, eius capiditatibus non est indulgendum. Si enim secundum carnem vixeritis, ait S. Paulus, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et caro cõcupiscit aduersus spiritum, vt spiritus non vincatur eius hostis scilicet carnis vires sunt diminuendæ. Nunc vt ad propositum deducamus. Caro nostra est veluti dux diaboli. Si quid velit in pernitiem nostræ salutis moliri, executionem per carnem nostram, tanquam instrumentum instituit. Si caro ergo debilis & infirma sit, parum adiumenti ei conferre poterit, si autem potens, potenter rationi & spiritui reluctatur: quia omne agens operatur secundum dispositionem

Carne infirma spiritus fortis.

1. Cor. 12.

Caro refrenãda.

Rom. 8.

nem

nem recipientis impulsum. Deinde corporales afflictiones, vt sunt Ieiunium, disciplinæ, cilitij vsus, vigiliæ, vestium & lecti asperitas, alijque corporales actus, ad edomandam carnem commodi, ad recipiendam diuinam gratiam, sunt quædam dispositiones. Qui enim melius se disponit, plus recipit, & vas capacius plura capit, melius autem se disponit, qui non solum anima, sed etiam corpore laborat. Qui enim seminat in lachrymis in exultatione metet, sic & Deut. 4. Cum quæsieris Dominum Deum tuum inuenies eum, si tamen ex toto corde, & tota tribulatione animæ tuæ quæsieris eum. Et Iohel. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra & non vestimenta vestra: Opera enim exteriora carnis, signa sunt interioris constitutionis animæ. Quando enim corporis dispositio est valida, relucet in facie ac alijs partibus corporis: Quãdo autem nõ est aliquod signum, infirma est valetudo. Ad hunc modum infirma est deuotio, quę signis externis non lucet, & charitas languens, quæ in exteriora non prorumpit opera. Et quemadmodum ignis in densa nube inclusus, conquiescere non potest, donec cum sonitu foras erumpat, ita charitatis ignis, in visceribus & cordibus hominum inclusus, quando vehementius animam incẽdit, sese operibus pro-

Psal. 125.

Simile.

 dit.

dit. Dilectionis autem est officium, amico gratificari & inseruire velle, quando igitur homo charitate accensus, intelligit Deum operibus pœnitentiæ, Ieiunio, & corporis mortificatione delectari, ardenti animo in Ieiunijs, pœnitentiæ laboribus & operationibus, corpus, quod alioquin in via salutis impedimentum ponit; offert in hostiam viuentem & Deo placentem. Ex superioribus quoque haberi potest, quantum vtilitatis, exercitium talium operum conferat orationi. Oratio enim est mentis in Deum ascensus, corpus autem obesum, & cibo, potuque repletum, aggrauat, & trahit deorsum. Vnde valde imprudenter agunt, qui orationis studium insequuntur, neglecta corporis mortificatione, Horum deuotio tamdiu consistit, quamdiu eorum appetitui & proposito satisfit. Si enim omnia tam in corporalibus, quam in spiritualibus secundum animi sententiam succedunt, deuotio quædam externa florere videtur; at si occasio terrenæ concupiscentiæ, voluptatisque huius mundi se offerat omnis pietas euanuit. Quisquis feliciter in oratione cum Deo vult agere, carnem, voluntatemque propriam studeat conculcare. Nec etiam parum confert afflictio huiusmodi corporalis ad placandum Deum. Cum Achab, Dauid, Iudith,

Afflictiones corporis multũ proficiunt orationi.

Nota.

Quid faciendum ei qui fideliter orationi vult incumbere.

Iudith, alijque veteris testamenti viri, & fœminæ timentes Deum, legantur Deum sibi reconciliasse in oratione adhibitis Ieiunijs, cinere & cilitio. Tunc enim homo exhibet membra sua quæ exhibuit ad seruiendũ iniquitati, ad satisfaciendum iustitiæ. Iustum est enim, vt homo qui corpore instrumento est abusus ad peccandum, eodem bene vtatur ad placandum Deum: peccasti carne, subiuga carnem; vt Deo à quo habet quod sit, se subijciat. Quod si quis velit plura legere exempla corporis castigationis, per ieiunia, cilicia & flagella, &c. legat Marcum Marulum libro 3. de ratione bene beateque viuendi caput vltimo, & in libro 4. cap. 1. Postremo hoc exercitium plurimum iuuat apud iuuentutem, vt inducantur ad mortificandam præsertim carnem flagellis, & disciplinis. Cum enim illa ætas refugiat multum, propter teneram adhuc carnem, ea quæ carni dolorem incutiunt; si in ipsam agere incipiat, alia quæ minus difficilia sunt; quamuis nihil hominibus carnalibus difficilius videatur, quam proprium corpus flagellis cædere; facilius exequi poterit. Quare si quod argumentum secundum veram Philosophiam sit, quod animæ immortalitatem probet (non loquimur nunc de fide nostra) hinc desumi potest: Nihil enim quod dependet à sua materia, in

illam agit, maxime quod tendat in deſtructionem ipſius materiæ ſiue, ſubiecti, vt experientia rerum omnium magiſtra demonſtrat, in toto animantium genere, excepto homine. Cuncta animãtia refugiunt ea quæ dolorem ad ſenſum inferunt, nec quicquam huiuſmodi in ſeipſa moliuntur, quippe eorum anima ſcilicet ſenſitiua, dependet à materia, & de potentia eiuſdem ducitur, vt cõmuniter Philoſophi tradidere, & ob eã cauſam corrumpitur & interit. Anima autem intellectiua (vt Ariſtoteles tradit) extrinſecus aduenit, & vt fides Catholica docet, à Deo creatur: Vnde ſicut nõ educitur de potentia materiæ, ita etiam nec interit, ſed remanet poſt corpus, ſuaſque habet operationes ſeparatas, & cum non dependeat à corpore, poteſt ſibi corp' ſubijcere, & etiã vult, quando diuinæ charitatis radijs illuſtratur, ſenſualemque cernit illam portionem ſibi impedimento eſſe. Ex iſtis elicitur illos homines, qui per omnia carnem & ſanguinem ſequuntur, animam quidẽ habere immortalem, tamen carnem dominari, & trahere portionem ſuperiorem.

13. Decimum tertium remedium, eſt ſolitu-
Solitudo. do, ſiue fuga ſæculi. Quantum ſubſidij conferat contra dæmonis inſidias ſolitudo, nemo dignis verbis exprimere valet. Intueatur qui voluerit & quieta mente contempletur om-

omnia mala huius mundi, & videbit ſolitudinis vtilitates. Varias occaſiones habet inimicus aduerſus eos, qui in mundo vitam agunt, nunc honorũ ambitione in cõſpectu hominũ torquet, nunc inuidia, nũc ira, nunc gula propter hominum conuictum, nunc cupiditate & auaritia, nunc luxuriæ fœtore, nunc proximorum offenſione, nunc veſtiũ & ciborum ornatu & delitijs, nunc ædium ſplendore, nunc maximis curis rei familiaris, & ſimilibus vexat. Has omnes occaſiones ſolitudo abſcindit, abſtrahendo ab hominũ conuictu & conuerſatione, non afferuntur ſenſibus obiecta quæ moueant ad concupiſcendum, nec etiam mala ſocietas præbet occaſionem ruinæ. De hac re pręclare loquitur Laurentius Iuſtinianus in lib. de caſto connubio verbi & animæ cap. 6. in hæc verba. Non eſt tuta in vrbibus cõuerſatio, vbi omnium exuberant materiæ peccatorum, vbi elatio regnat, excruciat liuor, rixæ conturbant, libido dominatur, diuitiæ dilaniant, voluptas blanditur & ſocietatis carnalium colligatio animum effœminat, vix qui ſibi vacat præſentis vitæ naufragium poteſt euadere, habitant in ſæculo qui ſe diligunt, qui pugnandi vel vincẽdi pro virtute nullo charitatis accenſi ſunt zelo. At quicunque ad perfectionem anhelat aſcendere, quicunque animi magnitudine cum vitijs & ſpirituali-

Nota de ſolitudine.

 bus

bus nequitijs non pauet habere congressum, iuxta verbi consilium, prius cunctis quæ possidet, renunciet, deinde solitudinem sibi in seipso ædificet, in qua Deo intendere, & spirituali pugnæ, non desinat, loco & tempore, etiam domesticorum consortia fugitando. Habeat Redemptoris exemplum, qui cum à Diabolo tentaretur, solus in deserto esse voluit, post consummatam autem victoriam homines secum habitare permisit. Solitudo semper amanda est, tenenda vero non semper, quisquis illa prudenter vsus fuerit, gloriosum de hostibus victoriæ triumphum in tentationibus reportabit, si tamen eidem adijciat abstinentiam: Nam solitudinem tenere, & gulæ frena laxare, brutorum est vita. Hæc Doctor prædictus. De vtilitatibus solitudinis & vitæ Monasticæ, hic multa dici possent, sed non facit ad præsentem locum. Non autem hoc intelligendum de solitudine, quando aliquis in Cella tantum corpore recluditur, mente autem & desiderio in seculo versatur. S. Basilius aliquas ponit de his similitudines de institut. Monachorum Serm. 1. Qui Monasticæ vitæ institutum assumpserunt, & adhuc tenent affectus seculares. Qui in Angelicæ dignitatis ordinem transiuit, is si humanis postea affectionibus sese contaminet Pardi similis effi-

Nota.

Nota similitudines.

efficitur pelli, cuius setæ neque ex toto albæ sunt, neque ex toto nigræ, sed cum sint dissimilium colorum, mistione interiunctæ, neque in albis numerantur, neque in nigris. Ibidem in serm. 2. Conuenit igitur vt quemadmodum qui balneum ingrediuntur, vestimentis se omnibus denudant: ita & qui colendæ pietatis causa, ad solitariam vitam accedunt, omni materia rerum huius vitæ exuti, genus vitæ quod est secundum philosophiam, ingrediantur. Et in constitutionibus Monasticis. Monachus adhuc rebus secularibus intentus, est veluti statiua, quæ solam Monachi figuram circumferat, nimirum quæ nusquam virtutibus sit ornata. Quæ sit vera renunciatio, & vnde cognoscatur, & quod periculum eorum qui male renunciant seculo, quando ingressi Monasterium, & quod etiam secularibus deteriores, tradit Cassianus libro 4. de institutis cœnobiorum à cap. 33. vsque ad finem, & in collatio. 4. caput. 19. 20. & vltimo. Qui vult legere legat, sunt enim digna quæ legantur ab homine qui aspirat ad Monasticam perfectionem.

Decimum quartum Remedium est: Sacræ scripturæ cognitio. Hæc enim est Pharetra in qua sunt sagittæ innumerabiles, & admodum acutæ, contra aduersarios. Deus 14. Remediũ Sacræ scripturæ cognitio.

Scriptura præbet, arma contētamenta. enim per ſacras literas, ſuos milites inſtruit ad pugnam. Quare optime Deum laudabat glorioſus ille Athleta Chriſti. Benedictus *Pſal. 143.* dominus Deus meus qui docet, &c. & digitos meos ad bellum. Hoc remedio Saluator *Matth. 4.* noſter vſus eſt contra diabolum. Magna eſt autem ſcripturæ ad hunc effectum vtilitas. In primis ex ſcripturis inſtruimur ad cognoſcendas diaboli fraudes. Vnde & Dauid *Pſal. 118.* gloriebatur de hoc cum diceret: Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo. Deinde diabolus eſt princeps tenebrarum, in tenebris ambulat, & odit lucem, & quod maius eſt pater mendacij, hinc eius animus eſt, vt excæcet intellectum, ſuadeat colore boni malum, & dicat bonum malum, & è contra. Diuinum autem eloquium, & lumen, & lucerna eſt, & veritas, quæ rectum docet & cognoſcere verum. Ad hæc accedit, cum non ſit melior modus expugnandi vitia, quam per virtutes contrarias, ſcriptura *Sacræ litteræ quid præſtent.* omnes virtutes offert, & ſententiarum ignitas ſagittas. Vnde Saluator. Scriptum eſt. Nō *Matth. 4.* in ſolo pane viuit homo ſed in omni verbo quod procedit ab ore Dei. Poſtremo ſacræ literæ præſtantiam excellentiamque bonorum operum, cœleſtium & æternorum proponunt. Vnde cum homo in earum lectione occupatur accenditur animo ad amplectendum

ctendum & vehementius insectandum ea quæ intellectui in diuinis eloquijs objiciuntur. Generosus etiam accipiter, cum tecto capite circumfertur, nullius prædæ capiendæ desiderio concitatur: At cum detecto capite in campum fertur, si auem volantem, quam desiderat, conspiciat, vix aucupis manibus retineri valet: Sic cœlestium rerum ignari, ad ignota minime aspirant, sed si diuinarum scripturarum luce illustrati; cœlestiũ splendorem intueantur, miro mentis ardore rapiuntur. Nam sacræ literæ erudiunt ad scientiam, & perducunt ad sapientiam, quæ duæ virtutes, incredibilem præbent ad vincendum cautelam. Hinc de his virtutibus in sacris literis testimonium perhibetur. Esaiæ. 11. Non occident, & non nocebunt in vniuerso mõte sancto meo, quia repleta est terra scientia domini. Et Sap. 5. Melior est sapientia quam vires. Et iterum Eccle. 9. Melior est sapientia quam arma bellica. Hæc & similia quæ non est huius considerationis asserere, præbet scripturarum thesaurus, quibus multum diaboli astutia detegitur ac eius conatus infringitur. Ad hoc remedium reduci potest fides, quæ per scripturas traditur, de qua Apost. Ephes. 5. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et 1. Petri 5. Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.

similitudo pulchra.

Pro remedio est & fides.

ſtra. Adijciamus & huic, aliud contra Diabolum telum. Sanctorum virorum vitam, & res geſtas. In his ſpiritualibus offeruntur ſpiritualia ad pugnandum præſidia; & infirmis ad imitandum exempla. Legunt ſeculares belli duces antiquorum Ducum, & militum hiſtorias, vt diſcant eorum exemplis belli machinas dirigere, hoſtium vires eneruare, & ad pugnandum ſapientiam inuenire. Perlegat Chriſti Athleta ſanctorum exempla & non deerunt arma, quibus carnem expugnet, mundum contemnat, & Diabolum vincat. Alia multa remedia ex eis ſumi poſſunt, quæ ſupra dicta ſunt de tentationibus particularibus. Si quis vero contra ſeptem peccata mortalia, quibus nos ſæpe dæmon impugnet cupit, legat Doctores qui huiuſmodi morales materias tractarunt. Sunt autem hi non contemnendi: Guilelmus Lugdunen. in Tomo ſecundo de virtutibus & vitijs. Guielmus Pariſien. in Tract. de virtutibus. Item de tentationibus & reſiſtentijs. Gerſon in multis locis, tum in Tract. 8. ſuper Magnificat. Dionyſius Carth. in lib. de remedijs tentationum. Iohannes de Turrecrema, varijs in locis ſuper Regulam S. Benedicti. Methodus Confeſſionis, & multi alij libri à multis conſcripti & collecti. His placet

Item. Exempla ſanctorum.

ſub-

ſubiungere doctrinam quam ponit Dionyſius Cartu. in lib. citato art. 12. vbi 14. illuſiones & imperitias colligit, quæ in ſpirituali pugna contingunt in ordine, & comparatione ad militiam corporalem. Prima ſtultitia in bello corporali eſt, inepta diſpoſitio exercitus, & nimia diſtantia pugnantium ab inuicem. Ita in prælio ſpirituali fatuitas eſt, Inordinatio mentis, & eius turbatio, & proximorum ſeparatio per rancorem. 1. *Stultia in bello corporali.*

Quare Apoſt. 1. Corinth. 14. hortatur; omnia decenter & ſecundum ordinem fiant in vobis. Et vnigenitus Dei filius. Pater quos dediſti mihi volo vt ſint vnum. Secunda in corporali bello ſtultitia eſt; diſſentio exercitus à principe militiæ & vnius partis aduerſus aliam. Sic in pugna ſpirituali periculoſiſſima atque præcipua ſtultitia Chriſtianorum eſt, rebellio ſubditorum contra prælatos, atque diſcordia mutua proximorum. 2. *Ioan. 17.* *ſtultitia.*

Quocirca iubet Apoſtolus Rom. 15. vnanimes, vno ore honorificetis Deum. Et ſaluator ſuis pacem commendauit: Pacem habete inter vos. Hinc quoque ſolitudo periculoſa eſt niſi ſpecialis adſit gratia. Eccleſiaſt. 4. væ ſoli quia cum ceciderit non habet ſubleuantem ſe. Tertia, in corporali bello ſtultitia eſt, in armatum *Solus periculoſe viuit.* 3.

& im-

& imparatum ad bella procedere, nec ante pugnam armari, Sic in ſpirituali fatuitas eſt, non eſſe paratum virtutibus, ac peritia reſiſtendi antequam tentationes proueniant, imo non eſſe indeſinenter omni virtute munitum, cum tota hæc vita ſit tentationibus plena, ac in medio laqueorum ac hoſtium
Matt. 26. ambulemus. Hinc Chriſtus: vigilate & ora-
4. te, vt non intretis in tentationem. Quarta,
Stultitia. in corporali bello ſtultitia dicenda eſt, viam hoſtibus aperire, & eis confœderari ad deſtruendum ſeipſum, & ſuos: ſic in ſpirituali pugna ſtultiſſimum eſt tentationibus conſentire, & ſponte tranſire ad lacum iniquitatis, foueamque perditionis. Ideo monet Apoſtolus Epheſ. 4. Reſiſtite diabolo & fugiet
5. à vobis. Quinta corporaliter pugnantium ſtultitia eſt, hoſtibus laborioſe reluctari quos poſſint ſine bello ſibi ſubijcere. Sic ſtulti ſunt qui tentationes *poſſent ſine bello ſibi ſubijcere* & vitia poſſunt ſilendo & quieſcendo proſternere, contra eas grauem aſſumunt confli-
6. ctum. Sexta. In corporali, ſtultitia eſt non repugnare per contraria, ſaltem in caſu, vt ſi caſtra incendantur, non apponere aquam. Sic in ſpirituali militia ſtolidum eſt, per ſimilia non per contraria reluctari, ſicut agunt qui per odium & loquacitatem, odio & loquacitati reſiſtunt, cum tamen ſcriptum ſit: Noli vinci in malo, ſed vince in bono malū.

Septi-

Septima est sumere arma nimium pondero- *Rom.12.*
sa propter quod Dauid deposuit arma Saul. 7.
1.Reg.17. Sic spiritualiter stolidum est, exercitia proprias vires excedentia, contra tentationes accipere, vt faciunt qui vltra quã ferre queunt, incipiunt vigilare, ieiunare & orare, sicque breui ita debilitantur, vt postea inutiles fiant, non attendentes illud Apost. Rom. 12. Rationabile sit obsequium vestrũ. Octaua est, In congressu abijcere arma, sic spiritualiter stulti sunt, qui tẽtatione inchoante, aut perdurante, virtutum abijciunt armaturã, patientiæ clypeum, cordis constantiam & Dei timorem. Quocirca hortatur *1.Cor.15.*
Apost. stabiles estote: & immobiles, abun-
dantes in opere Domini semper. Nona, non 9.
resistere inimicis in locis ad hoc aptioribus, vt sunt loca angusta & alta, vbi pauci multis resistere possunt, sed in locis patentibus, vbi facilius hostes ingrediuntur sic stulti sunt, qui non tentationibus resistunt, stando in sublimitate sapientiæ ac virtutum, atque in via arcta salutis, sed in actibus valde remissis & laxis, in quibus multa mala admixta, & dęmonibus patet accessus ad possidẽdum ani-
mam. Decima, Non expugnare hostes ad- 10.
huc impotẽtes & debiles, sed expectare quousque inualescant. Sic stultum est non relu-
ctari tentationi in eius principio. Vndecima 11.
est. Hosti nimis appropinquare cum à remo-

to fa-

to facilius expugnetur. Sic insipientes sunt, qui contra tentationes voluptatum volunt reniti cogitationes atque materias earundẽ nimis intra se reuoluendo, cum melius superentur, se à talibus elongando.
12. Duodecima est fugere hostẽ, qui magis insequitur fugientem. Sic stolidum est cedere tentationi, & eius iacula in aduersis nimis timere, cum tamen ad sustinendum aduersa debeamus esse parati.
13. Decimatertia est, propriũ inimicum contra se confortare, & eum reputare amicum, & ea quæ vere expediunt reputare nociua: Sic fatuum est proprium corpus delicatè nutrire, atque ad concupiscentias incitare, & ea quæ propriæ carni & sensul propriȩ voluntatis repugnant, odio prosequi, cũ tamen salubria sint.
14. Decima quarta est, ibi sibi minus de armatura prouidere vbi maiora instant pericula, sic insipientes sunt, qui contra ea vitia minus se muniunt; ad quæ ex naturali dispositione, aut praua consuetudine proniores existunt: Immo suæ vitiositatis materiam sibi accumulant, sicut auari deberent se ad opera misericordiæ dare liberaliter, qui tamen non cessant sibi temporalia congregare. Itaque vt in spirituali proficiamus militia, vniuersas, fugiamus has stultitias. Hæc supradictus vir tradit, vnde & cautelæ & medicinæ contra tentationes desumi possunt.

Nunc

Nunc superest, vt quicunq; arcem animæ custodire cupit, magna animi vigilantia laboret, nec permittat Inimicum cum domestico hoste, scilicet carne, magnā habere pacem. Si enim diabolus contra nos carne comite vtatur, haud facile vim hostis sustinere poterimus. Si enim carnē subiectam teneamus, & mundum cum sua pompa deuicerimus, non erit magnæ difficultatis, contra Dæmonem triumphū obtinere. Cum enim Caro spiritui aduersetur si ei habenæ laxentur semper saluti contraria concupiscit. Si nutritur impugnata recalcitrat, si inædia & laboribus atteritur, murmurat, si preciosis induitur vestibus, extollitur. Blandicijs feræ mansuescunt syluestres: hæc autem proteruior efficitur. Ipsa denique domesticus est hostis qui spiritui aduersari nō desinit. Nam infirmitatibus referta, animam suis grauat officijs, nunc dolorem patitur capitis, nunc viscerum torquetur torsionibus, nunc stomachi debilitate languescit, oculorum, dentium, pedum cœterorumque membrorum languoribus absque vlla quiete dilaniatur, frigore, siti, fame caloreque consumitur. De his alijsque corporis incommodis docte & late agit Laurentius Iustinianus in lib. de disciplina & perfectione monasticæ conuersationis cap. 4.

Cum Carne non habenda pax.

Caro domesticus est hostis.

Hæc

Hæc de tentationibus earumque remediis pro rudibus dixisse satis est.

Cœterum perfectiores belli duces, non cessent quotidie noua excogitare arma, atq; ex pharetra diuini eloquij sagittas depromere, quas cum hostis irruit in ipsum iaciant.

Simile. Quemadmodum enim qui arcem aliquam in inimici regni confinio obtinent, non ad communia tantum pericula & quotidianos incursus, sed ad obsidiones ingentis exercitus, & inusitatos insultus instructi esse debēt varijs bellicis instrumētis, vt hostium impetum necessitate cogente propulsare queant. Ita & Dux Christianæ militiæ in vita sua non solum communium virtutum præsidio, vt Ieiunijs, orationibus similibusq; actionibus instructus esse debet; sed animam singularibus & insolitis pietatis exercitijs necessario fulcitur, vt à dextris & sinistris possit occurrere hosti.

Cœterum quisquis cū animi constantia, fortiter & prudenter cum eius adiutorio, qui docet nos ad prælium, pugnauerit, suffultus firma spe, & fiducia, in ipsius auxilio viriliter vincet, Et tandem post consumatum huius vitæ certamen, æternæ gloriæ corona donabitur. Amen.

FINIS.